THEOLOGICÆ INSTITUTIONES
CUM RECTA
NATURALI RATIONE
UT PLURIMUM CONSOCIATAE

OPERA ET STUDIO

A. R. P. Cherubini a Palma

INTER

MIN. OBSER. PROV. NEAPOLIS

LECTORIS JUBILATI

EDITIO SECUNDA MENDIS EXPURGATA, IN NONNULLIS IMMUTATA, ET IN MULTIS AUCTA

TOMUS PRIMUS.



NEAPOLI
EX TYPIS ALOYSII BANZOLI
1846.

APPROBATIO

Reverendissimi Ministri Generalis

TOTIUS ORDINIS

DIVI FRANCISCI.



Cum Liber primus Operis, cui titulus THEOLOGICAE INSTITUTIONES *ab Adm. R. P. Cherubino a Palma Lectore Jubilato M. O. compositus, a duobus Patribus Theologis revisus et approbatus fuerit, vigore praesentium facultatem facimus, quatenus, servatis servandis, dictus Liber primus Typis mandari possit.*

Dat: Romae ex Aracoeli die 19 aprilis 1842.

FR. JOSEPH M. MIN. GENERALIS.

LECTORI BENEVOLO

Quae timidus de sublimi, et nobilissima Theologica Facultate privatim dictabam, nunc repente temerarius, ut videor, audeo publicis typis nota facere omnibus. Miraris certo, Amice Lector, unde ista tam subita mutatio. Sed tantisper tuum dignare suspendere judicium, dum breviter, quae in utraque causa fuerint, aperiam.

Zelo mecum ipse fremebam contra nostrae aetatis furentem spiritum philosophicum, quo ducti sectatores spiritus privati Lutheranorum et Calvinistarum, aut qui vestigia premunt impiissimi Socini, eo impietatis pervenerunt, ut jam Deistarum, et Naturalistarum systema amplexi fuerint, et timor est, ne brevi evadant Atheistae: ut somniatam perfectionem hic inveniant, omnem Religionem abjiciunt. Fremebam propterea, et praeter spem, quoniam mearum virium agnoscebam infirmitatem, dum quaerebam, quodnam remedium esset opportunum pro tanto malo, venit in mentem amplectendum esse systema homiopaticum recentiorum Medicorum, qui similia similibus curare nituntur.

Hactenus dociliores fuerunt impii homines, et idcirco miraculis, et prophetiis poterant duci infideles ad cognitionem verae Religionis; et Divina Revelatione tam scripta, quam voce tradita, revocari poterant Heterodoxi ad veram Christi Doctrinam, et Ecclesiam. Sed nunc pseudophilosophico spiritu ducti nituntur demonstrare veram contradictionem in sacrosanctis Mysteriis, quae sunt fundamenta nostrae Divinae Religionis, unde sic deducant, fieri non posse, ut illa a Deo fuerint revelata: quid ergo faciendum nobis, quibus datum est non solum doce-

re, sed sustinere etiam sanctissimam Christi Religionem? Utamur, dicebam, nos quoque, sed vera et recta, philosophica doctrina, et illius ope conemur exsufflare apparentem contradictionem, et rite demonstrare, quod Mysteria, et omnia nostra dogmata, dum sunt supra omnem naturalem rationem, secus enim non fuisset necessarium ut a Deo revelarentur, nullimode tamen sunt contra eamdem, ita ut vere sibi contradicant.

Placuit hoc consilium, et statim, quin quaesissem, data occasione, amplexus sum. Sed quia pluribus distractus tempus mihi non erat meditandi huiusmodi systema, propterea quasi ex tempore in privato studio in dies dictabam, et saepe etiam, quin prius scripsissem, sperans tamen fore, ut postea possem emendare, perficere, expolire, et exornare. Quod si id non daretur, sperabam, et nunc etiam spero, non defuturos ex meis auditoribus, qui hoc ipsum facerent, sicut vere multo melius, quam ego, possunt facere. En ergo cur timide dictabam, quae prorsus erant indigesta.

Sed quis crederet? Iidem mei Auditores, dum vident meam senectam, cognoscunt meos defectus et oculorum, et manuum, et non ignorant alias meas curas, non destiterunt, neque desistunt me sollicitare, ut publici juris faciam, quae tam rustica dictavi. Pluries quidem obstiti: sed continuis instantiis tandem opus fuit cedere, ea praesertim de causa, ne ullo modo, etiam magna honoris jactura, non tentarem bellum contra infensissimos hostes nostrae Sanctissimae Religionis.

Sed indignum prorsus est opus, quod in publicum prodeat: tempus, et vires quoque desunt, ut perficiatur, emendetur, et illustretur! Quid ergo? Idcirco enixe rogo te, benigne Lector, ut excipias excusationes meas, et digneris tribuere non arrogantiae, sed expositis circumstantiis.

Quod autem res ita se habet, ut dictum est, tu ipse Lector poteris cognoscere ex eo, quod saepe verba offendes non doctis lectoribus directa, sed privatis auditoribus. Tanta fuit deficientia temporis, ut nequidem in hoc potuerim mea scripta immutare. Parce ergo, benigne Lector, et excipe bono animo, si non opus ipsum, consilium tamen Auctoris. Vale.

PRÆFATIO



Theologicam Facultatem vobis explanaturus, dilectissimi Juvenes, opus non est, ut ad illam animo laeto, totis viribus, et improbo labore addiscendam vos allicere, et suadere studeam. Sane si longe inferioribus disciplinis, quae terrena solum, vilia, et caduca spectant multo labore, et diligentia operam dedistis, quanto magis non excellet diligentia vestra in addiscenda Theologica Disciplina, quae ipsum verae sapientiae lumen cominus contemplatur, et nihil aliud sibi proponit, nisi tutam, et facilem sternere viam ad gloriam sempiternam, omnique felicitate cumulatam? Inter omnia, *praeclare scripsit Angelicus Doctor lib: secundo contra Gentiles, cap. se-*

cundo, Sapientiae studium est perfectius, sublimius, et utilius, et jucundius. . . Perfectius quidem, quia in quantum sapientiae studio dat se, in tantum verae beatitudinis jam aliquam partem habet, unde Sapiens dixit: Beatus vir, qui in sapientia morabitur. Sublimius; quia per ipsam homo ad divinam similitudinem praecipue accedit. . . Utilius, quia per ipsam sapientiam ad immortalitatis regnum pervenitur. Jucundius, quia non habet amaritudinem conversatio illius, sed laetitiam, et gaudium. *Sed hasce, aliasque Theologiae laudes libenter praeteribo, quoniam ulteriori stimulo animus vester non indiget, ut totus accendatur, totusque ferveat amore, et desiderio illam addiscendi.*

Quod autem utile, quinimo necessarium duco, est illud, aliqua scilicet vos praemonere, quo facilius, et rectius vestrum possitis dirigere laborem. Scitote ergo, quod sunt non pauci, ex quibus alii bona fide, et animo simplici, et alii subdole, et malitiose, ex hac doctrina penitus eliminandam dicunt Dialecticam, et Philosophiam, quoniam in obsequium fidei captivandus est intellectus noster. Contra sunt multi, qui tuentur, sine Philosophia recte, et utiliter tractari non posse Theologicam facultatem. Et ex his alii pessimo consilio, ut scilicet rejiciant om-

nia, quae remota sunt a naturali ratione, uti sunt praesertim Christianae Religionis Mysteria; et alii pio, et religioso zelo, ut nimirum cum Philosophia ipsa retundere possint audaciam impiorum, et contra illos sustinere, quod dum multa in Christiana Religione docentur supra humanam rationem, uti postulat natura Doctrinae Revelatae, quia secus necessaria non esset, nihil tamen in ipsa continetur, quod vel in se contradictorium sit, vel vere opponatur Legi, et Religioni naturali.

Quodnam sit meum consilium, quodnam systema velim sequi, opus non est, ut me interrogetis, studiosissimi Juvenes: jam ipsi cognovistis, quod dum pace frui videmur in negotio Religionis, et non amplius repullulare audiuntur tot haereses, quae omni aevo vexarunt Christi Ecclesiam; novum tamen, et periculosissimum bellum nobis imminet cum Philosophicis spiritibus, qui radicitus evellere conantur verae Religionis arborem ab ipso Deo plantatam sua Doctrina revelata. Ubique reperiuntur hujusmodi novi generis hostes, qui saepe, quasi pro joco, ad tribunal naturalis rationis nostra dogmata revocant. Sed jam in septentrionalibus Europae Regionibus praesertim sub somniato principio hu-

manae perfectibilitatis, publice sumpserunt arma, et sicut novarum excogitationum nostrum saeculum appellant, ita nescio quid novi, etiam circa Religionem, excogitare, et invehere nituntur. Ergo . . .

Ergo nos etiam novum modum tenere debemus in excipiendo, et repellendo illorum jacula. Itaque duplicatis armis opus est in arenam descendere, vera scilicet philosophia, et divina revelata doctrina tam scripta, quam voce tradita: et id quidem modo simul, et modo separatim. Cum res agitur contra Deistas, et Naturalistas, aut Irreligionarios omnino, nonnisi sola philosophia fas est gerere bellum. Unde sola naturali ratione istos revincere debemus de necessitate religiosi cultus erga Deum; de insufficientia Religionis naturalis, et propterea de nenessitate Divinae Revelationis; et inde concludere existentiam ejusdem. Sola item naturali ratione debemus ad evidentiam usque demonstrare, quod revelata Doctrina, etsi supra humanam rationem sua dogmata tradat, nusquam tamen, uti diximus, docere, et praecipere potest, quae vere intrinsecus pugnant, aut sunt contra naturalis Religionis principia: alioqui ipsa veritas Deus sibi ipsi contradiceret, alia in cor-

dibus nostris praecipiens, et alia supernaturaliter revelans. Pessime igitur rem nostram gerunt, qui dum contradictionis, licet, falso, nostra dogmata Naturalistae criminantur, confidentissime respondent, ita a Deo fuisse revelata, nihil solliciti apparentem contradictionem dissipare; quasi Deus aut, quae vere in se pugnant, efficere possit, aut quae falsa sunt revelare. Heu quam melius si silentium isti servarent!

Et quoniam nec oppositi Religionis Cultus uni eidemque Deo placere possunt, nec fieri potest, ut opposita media ad eundem finem ducant homines, cum sola item philosophia profligare necesse est communiorem errorem Indifferentismi, prius quam altius suas radices insinuet. Hisce veritatibus sic demonstratis, facile erit sola pariter naturali ratione, sive indirecte, scilicet exclusione partium, sive directe etiam ex miraculis, et prophetiis, concludere, solam Christianam Religionem veram esse, et apud nos tantummodo veram revelatam doctrinam reperiri.

Post haec, consociatis armis, Dialectica scilicet et doctrina revelata, oportet statuere necessitatem legitimi, et infallibilis interpretis sacrarum scripturarum, et existentiam alterius regulae nostrae fidei, quae est Divina Apostoli-

ca Traditio: et praesertim contra Novatores, et Protestantes debemus propugnare infallibilitatem Christi Ecclesiae in omnibus, quae ad fidem, et mores pertinent, et veram necessitatem unius supremi Capitis ejusdem. Et sic, veluti pro corollario, deducta canonicitate sacrorum librorum, et ratione dignoscendi Divinam Traditionem ab humana, tunc tandem solis argumentis Theologicis difficile non erit rejiere falsos Fratres, Heterodoxos omnes, et Haereticos: semper tamen in auxilium servata philosophia ad extricandas fallacias, et apparentes contradictiones. Quod si quandoque sacrae doctrinae pabulo oves Christi pascere debemus, tunc omnino deponamus oportet Dialecticam et simplîciori stylo, prout illarum stomachus sustinet, sacrae doctrinae cibum illis frangere, et ministrare.

Hoc systema mihi videtur, hodie praesertim, a viro Theologo servandum. Et quia, ut dixi, insurrexerunt in nos, qui nimis philosophia abutuntur; et quia prima lex de quacumque re disputandi illa profecto est, ut de principiis, quibus niti debet ratiocinatio, bene conveniat inter partes; alioquin tantum roboris habebit penes Deistas, et Naturalistas, aliosque, qui Christi nomen execrantur, nostrum Evangelium, et Di-

vina Traditio; quantum apud nos illorum codices, et traditiones majorum: evidens est, quod sola naturali ratione, quae omnibus communis est, illos revincere possumus falsitatis.

Quin et moneo, quod huic systemati innixus jam statui omni apparatu, et tota vi, libere proponere non solum, quae cogitata et objecta sunt vel scriptis, vel voce; sed illa etiam, quae ab adversariis possunt excogitari, et revera in dies excogitantur; fidens in divina gratia, ut benevertat omnia penitus dissipare. Etenim si fieri nequit, ut lux obnubiletur a tenebris, aut veritas a falso vincatur, certe ignavus proderem officium, si faciliora tantum argumenta mihi proponerem solvenda, aut iisdem verbis solverem, quibus pluries soluta fuerunt.

Tandem moneo, quod nimio rigore forsan servabo methodum scholasticam in adducendo, et solvendo argumenta Adversariorum, et in quaestionibus classicis omnes disponam objectiones, prout in publicis circulis scholasticarum exercitationum solent proponi. Id non alio consilio faciam, nisi ut prospiciam vestro commodo, studiosissimi Juvenes. Adhuc enim viget methodus ista in publicis concertationibus, et praesertim apud nos Ecclesiasticos Regulares,

et nescio num liceat nobis ab illa recedere. Itaque habebitis argumenta prompta, et disposita, quoties se praebebit occasio.

Et haec vos admonuisse sufficit, si hoc unum addatur quod aut raro, aut nunquam afferam nomina illorum, qui hac nostra aetate abrepti philosophico spiritu omnia, ut dixi, evertere, et innovare magna satagunt impietate. Satis est ipsos, et caeteros omnes, qui ex inferis fortasse prodituri sunt, generatim oppugnare; quia eodem tendunt omnes isti novitatis amatores. Sit ergo.

THEOLOGIÆ

DEFINITIO ET PARTITIO.



1. THEOLOGIA, sic dicta a graecis vocabulis, latine significat *sermonem de Deo.* Et quoniam duplici modo sermonem de Deo instituere possumus, vel scilicet sola duce humana ratione, vel innixi Revelationi Divinae, idcirco Theologia altera dicitur *naturalis*, *supernaturalis* altera. De illa disputant Philosophi in Metaphysica; de ista agunt, qui proprio nomine Theologi appellantur. Illam itaque Philosophis relinquimus: de ista breviter, quantum instituti ratio postulat, sermonem instituimus, et cum Theologis ferme omnibus ipsam definimus, per *scientiam Divinae Revelationi innixam, quae in Dei, eorumque, quae ad Deum pertinent, contemplatione versatur.*

2. Et quoniam Deus, qui est objectum Theologiae (§. *sup.*), etsi in se simplicissimus, ut suo loco videbimus, multiplici tamen modo, propter humanae mentis imbecillitatem, a nobis considerari potest; ideo multifarie haec scientia solet

dividi., Et quidem Deus primo considerari potest ut a se existens, et propterea aeternus, infinitus, perfectissimus, immutabilis, et proinde unus: secundo, considerari potest, ut operans, et id vel *ad intra*, scilicet seipsum pro objecto habens suae actionis, ex quo habetur Trinitas Personarum in unitate Naturae: vel ut operans *ad extra*, habens pro objecto actionis res extra se, unde habemus Mundi Creationem, Incarnationem Divini Verbi, et ejus gratiam ad salutem nobis necessariam; nec non media ad illam assequendam, vel conservandam, quae sunt Novae legis sacramenta: Ultro ergo se offert propterea genuina Theologiae divisio in sex libros. In primo quorum sermo erit de Deo Uno: in secundo de Deo Trino, seu de augustissimo Trinitatis Mysterio: in tertio de Mundi creatione: in quarto de ineffabili Mysterio Divini Verbi Incarnationis: in quinto de Gratia Christi nobis ad salutem necessaria: in sexto tandem de Sacramentis.

3. Sed quia nobilissima haec facultas non humanae nititur rationi, sed Revelationi Divinae, inde patet, quod non ab illa, sed ab ista, sua argumenta desumere debet. Sed Divina Revelatio, uti videbimus, non solum continetur in Scripturis, sed etiam in Traditione. Ergo de Sacris Scripturis, et de Divina Apostolica Traditione prius nobis agendum erit. Et quoniam non semper convenit inter omnes de vera sententia Scripturarum, et saepe quoque quaestio habetur de canone Sacrorum Librorum; et quia etiam confundi potest traditio humana cum Apostolica Divina; ideo ante omnia statuendus est legitimus judex, et infallibilis interpres Divinarum Scripturarum, et item tuta regula tradenda est discernendi veram Divinam Traditionem a falsis· Paucis verbis: alter liber praecedat necesse est, scilicet de Locis Theologicis.

4. Haec omnia bene quadrant, ubi tamen nullus est qui dubitet, quin Deus revera suam Revelationem fecerit homi-

nibus, et inter omnes etiam conveniat, quae ipsa sit, et apud quos reperiatur: alioquin quis non videt, quod totum ex fundamento ruit aedificium? Sed non defuerunt, et utinam desint modo, qui aut impossibilem, aut vanam omnino, et inutilem dixerunt Revelationem, cujusmodi sunt Deistae, et Naturalistae; et plures extiterunt, et existunt, diversi, et oppositi Religionis cultus, quos omnes sui auctores, et sectatores glorioso Revelationis titulo decorant: Ergo et octavus Liber omnino necessarius est, qui caeteros omnes praecedere debet, et sola naturali ratione debet pertractari, et quem appellare licet, Librum de vera Religione. Procul dubio ad naturalem potius, quam ad revelatam Theologiam iste pertinet: Sed quia vel prorsus ipse a philosophis praetermittitur, vel incomplete nimis tractatur, quum aliunde adeo Theologiae revelatae sit necessarius, ut secus illa veris, et firmis fundamentis careret; ideo nos illum non solum utilem, sed et maxime necessarium putavimus. Ad ipsum ergo omni cura, et studio manus admovemus.

LIBER PRIMUS

DE VERA RELIGIONE.

5. Duo in hoc primo Libro Theologicarum Institutionum pertractanda aggredimur: primo vindicabimus Divinae revelationis existentiam: secundo demonstrabimus, hujusmodi a Deo revelatam doctrinam solummodo apud nos Christianos modo veram, et integram reperiri (1)

(1) Revelata quidem fuit quoque doctrina Haebreorum. Sed ipsa respiciebat futurum Messiam, quocirca quum ex prophetiis

CAPUT I.

Num Religionis cultus Deo debeatur.

6. *Monitum.* Pro certo hic ponimus existere Deum, Ens scilicet a se, perfectissimum, et ideo unicum, ac nulli mutationi obnoxium, Ens aeternum, et semper in actu, ac omnino praeteritum non habens, nec futurum. Et proinde pro certo etiam habemus, in ipso contineri rationem sufficientem omnium rerum, sive totius mundi et visibilis, et invisibilis. Verum non eo sensu dicimus in Deo contineri rationem sufficientem mundi, quasi mundus sit ipse Deus, aut pars illius: sunt enim ista vere inter se contradictoria. Sed intelligimus mundum ex nihilo fuisse a Deo creatum, et quidem non ab aeterno, sed in tempore: secus enim mundus ipse fuisset semper ab aeterno, et non fuisset simul, quia creatio ab aeterno utique sibi contradicit. Et quidem primo, quia creatio, cum sit excitatio rei ex nihilo, pro certo ponit, quod prius res non existebat, et propterea illius initium existentiae: sed aeternitas caret initio: ergo repugnat creatio ab aeternitate. Secundo, aeternitas non agnoscit successionem, definitur enim per interminabilis vitae totam simul, et perfectam possessionem. Sed res creatae, quia essentialiter finitae, perennibus mutationibus sunt obnoxiae, et successionibus ex uno in alium statum. Ergo dicere rem creatam, et aeternam, est dicere vere contradictorium. His praemissis, sit

---

clarissime appareat, Messiam jam advenisse in persona Christi Nazaraeni, et Judaei pervicaciter negent; ideo vana modo est illorum fides, et reprobatus religionis cultus. Sed infra de his erit sermo.

PROPOSITIO I.

Deus non casu, sed consilio, et fine sui digno mundum ex nihilo condidit.

7. *Prob.* Qui casu operatur, et sine consilio, ac fine, procul dubio aut stupidus est, aut carens libertate ex necessitate operatur. Sed Deus, quia ens perfectissimum, est sapientissimus, et summe liber. Ergo non casu, sed consilio, et fine etc. *Prob. maj.* Qui casu, et sine consilio ac fine operatur, aut nescit, quod facit, quodque ex suo opere sequatur; aut scit, et tamen, sive interna, sive externa necessitate, cogitur, contra sui voluntatem, ad agendum. Sed illud summam dicit stultitiam; et hoc omnem destruit libertatem. Ergo qui casu etc.

Solvuntur Objectiones.

8. *ob.* Qui nullam in suis operationibus rationem sufficientem agnoscit, nullum pariter sibi finem proponit, quum operatur: etenim quum ratio sufficiens sit id, per quod intelligitur, cur aliqid sit, et uno potius modo, quam altero, ipsa non distinguitur a fine, cur causa operatur. Sed absurdum est rationem sufficientem quaerere in Dei operibus. Ergo falsum quod aliquo consilio, et fine Deus mundum ex nihilo condidit. *Pr. min.* Ratio sufficiens summam Dei libertatem destruit. Ergo absurdum est etc.

℟. *neg. ant.* Tantum abest, ut ratio sufficiens destruat summam Dei libertatem, ut potius illam maxime confirmet: ipsa enim evincit Deum sapienter, et ex consilio operari. Quinimo oppositum inducit vel casum, vel fatum, quae faciunt Deum vel stupidum, vel ineluctabili necessitate operantem.

9. *C.* Atqui revera ratio sufficiens destruit Dei libertatem. Ergo etc. *Prob.* Vel ratio sufficiens in Deo est ipsa liberrima Divina Voluntas, vel quid distinctum, et diversum, quod Divinam Voluntatem determinat ad agendum, et quidem uno potius modo, quam alio. Si primum: Ergo, praeter sui voluntatem, nihil aliud agnoscit Deus in suis operationibus. Si alterum: Ergo Dei voluntas ab altero determinatur; et propterea verum est semper quod ratio sufficiens Divinam destruit libertatem.

℟. Ratio sufficiens non est formaliter, et essentialiter (ut scholasticis loquar verbis) ipsa Divina Voluntas, nec ab illa quid diversum existens, quod Divinam Voluntatem determinat; sed potius est modus, quo ipsa Divina Voluntas operatur: scilicet, ut dixi, ex consilio, et sapientia, non vero casu, et fato.

10. *C.* Atqui ratio sufficiens vere destruit Dei libertatem. Ergo etc. *Pr. min. sub.* Si Deus ex ratione sufficiente ageret, procul dubio juxta illam, non vero contra, operari deberet. Ergo operatio, et modus operandi in Deo potius ab illa ratione penderet, quam a sua voluntate: et propterea ratio sufficiens vere destruit Dei libertatem.

℟. *Dist. ant.* Et ratio sufficiens est potius finis, quam norma, divinae Voluntatis libere agentis, *conc.* est quid extrinsecum, quod Dei Voluntatem cogat, *neg. ant.* ergo etc. *nego cons.* Dum dicimus Deum non agere sine ratione sufficiente, non intelligimus, illum sequi aliquam regulam ab extrinseco sibi impositam: sed agere cum aliquo sibi intrinseco fine, et quidem sui digno. Hoc est, iterum dico, dum propugnamus rationem sufficientem in Dei operibus, intelligimus, illam non ab extrinseco ipsi advenire, sed esse in sui natura, et essentia, hoc est in sui summa sapientia, et bonitate, cui repugnat casu, vel fato operari.

11. *Dices.* Multa saepe in mundo occurrunt, quae cum

certo a Deo sunt, nullam tamen sapientiam, nullam providentiam, nullam bonitatem arguunt, sed oppositum potius evincunt, uti sunt plurima inutilia, deformia, vilia, et nociva etiam animantia, plantae etc. Quae igitur ratio sufficiens, quae sapientia, quodnam consilium Deo dignum in creatione hujusmodi rerum? Ergo potius dicendum quod casu, aut necessitate illa creavit.

℟. Neminem opinor adeo superbire, ut assequi posse praesumat rationem sufficientem omnium, quae Deus creavit. Arctissimis finibus adstrictus est humanus intellectus, ut agnoscere possit, quo se extendat infinita Dei Sapientia. Itaque non ab experientia, quasi perfecte noverimus omnia naturae opera, et finem cui ordinata sunt, sed potius ex nota illorum causa tuemur Deum perfectissimum non agere, nisi summa sapientia, et consilio; quocirca in omnibus illius operibus inesse rationem, et finem sui dignum, licet ratio isthaec saepe a nobis ignoretur (1).

---

(1) Nonnulli philosophi, et quidem non obscuri nominis, principium rationis sufficientis veritatibus accomodantes, illud reperiri dixerunt dumtaxat in contingentibus, non vero in necessariis. Sic ratio sufficiens cujusquo naturalis effectus est in lege naturae, sive in voluntate Dei; et in voluntate hominum ratio cujusque illorum operum. Ast ratio sufficiens Dei perfectionum est in ipsa Divina Natura, sicut ratio aequalitatis radiorum ejusdem circuli est in circuli essentia. Inde factum fuisse existimamus, quod cum in se, et non in alio, sui rationem habeat Deus, ipsius perfectiones cum actionibus ad extra confundentes, sive potius cum illarum effectibus, qui procul dubio sunt res contingentes, nullam istarum rationem in Deo quaerendam esse existimarunt: et sic dum illum liberrimum tueri credunt, casu, aut fato subjectum faciunt.



PROPOSITIO II.

Duplex Dei finis agnoscendus est in mundi creatione, manifestatio scilicet suae gloriae, et communicatio suae bonitatis.

12. *Prob. prima pars.* Ex propositione praecedenti Deus non casu, aut fato, sed consilio, et fine sui digno mundum ex nihilo creavit. Sed finis proprius agentis intelligentis est consecutio alicujus boni, et quidem non possessi, alioquin, secluso hoc fine, frustra operaretur. Ergo Deus, qui essentialiter perfectissimus est, et in se beatissimus, et omnia possidens, nonnisi accidentalem extrinsecam gloriam, quae in eo reposita est, ut sint, qui quoquomodo ipsius agnoscerent perfectiones, sibi proponere potuit in mundi creatione.

13. *Prob. altera pars.* Ex eadem praecedenti propositione Deus fine sui digno egit, quum ex nihilo mundum condidit. Sed finis sui dignus est communicatio suae bonitatis. Ergo etc. *Pr. min.* Finis dignus cujusque est agere juxta propriam naturam. Sed Deus est summe *bonus*. Ergo finis sui dignus est effusio, et communicatio suae bonitatis. Et exinde suam ducit originem commune effatum: *Bonum est per se diffusivum.*

Solvuntur objectiones.

14. *Dices.* Si Dei finis in mundi creatione fuisset manifestatio suae gloriae, profecto mundus illam manifestaret omni meliori modo, quoniam Deus Sapientissimus est, ut inveniat opportuna media, et Omnipotens, ut adhibeat. Sed mundus non omni meliori modo ostendit Dei gloriam. Ergo dicendum, quod Dei finis non fuit manifestatio suae gloriae.

℟. *neg. maj. Et conc. min. neg. cons.* Cum dicimus Deum

condidisse mundum, ut suam manifestaret gloriam, non intelligimus voluisse demonstrare omni meliori modo, id quod omnino repugnat, quoniam ad hoc necessario requiritur objectum creatum infinitum, quod creare non potest Deus, etsi Omnipotens ipse sit: sed voluisse demonstrare aliquo determinato, et finito modo; ita ut nedum non adimpleretur Dei finis, si minorem mundus ostenderet Dei gloriam, sed etiam si ostenderet majorem, quoniam neutro modo responderet Dei fini. Nec inde sequitur Deum non esse perfectissimum, quoniam, ut dixi, repugnat omnino, ut sit aliud, et quidem creatum, ens perfectissimum, quod solum omni meliori modo ostentare posset Dei gloriam. Sed sufficit ad vindicandam Dei omnipotentiam, ut omni cuique finito dare possit existentiam.

15. *C.* Atqui ex quo non omni meliori modo mundus manifestat Dei gloriam sequitur Deum non esse Omnipotentem. Ergo etc. *Pr. min. sub.* Qui agit pro aliquo bono assequendo, procul dubio majus, quo fieri potest, assequi intendit, et nititur, quia minus bonum pro majori, est quaedam mali species. Ergo ut omnipotens dicatur Deus, dicendus omni meliori modo voluisse suam gloriam manifestare.

℟. *ad argumentum.* Fallitur, aut fallere vult, ceteroquin egregius Philosophus Leybnitius, cum demonstrare nititur, finem Dei in mundi creatione necessario esse debuisse, ut omni meliori modo suam gloriam manifestaret, quoniam minus bonum est quaedam mali species, si majori bono ponat obicem, quod impium est in Deo asserere. Quinimo adeo falsum est suum ratiocinium, ut absolute repugnet, finem Dei in mundi creatione esse debuisse omni meliori modo suam gloriam manifestare. Et re quidem vera, etsi omnipotens est Deus, nunquam tamen ipse creare, vel efficere quidquam poterit, quod finitum non sit et limitatum: et ratio est, quia plura existere entia perfectissima intrinsecus pugnat.

Sed omni finito dari semper potest majus, et perfectius; et cuique possibili Deus impertiri potest existentiam. Ergo etsi velit Deus, et nitatur etiam, nunquam creare poterit ens aliquod adeo perfectum, ut perfectius semper creare non possit. Sed manifestatio Divinae gloriae est in ratione directa perfectionis creaturarum. Ergo absolute repugnat ut Deus in mundi creatione finem sibi proponere potuerit omni meliori modo suam gloriam manifestandi: sed necessario sibi proponere debuit manifestandi gradibus finitis, et determinatis. Igitur ex quo mundus non omni meliori modo Dei gloriam ostendit, non inde sequitur Deum non esse Omnipotentem, et multo minus, quod sine aliquo fine sui digno creaverit.

16. *Dices secundo.* Innumera sunt in hoc mundo, quae homines infelices reddunt, uti frigus, aestus, aerumnae, morbi etc. Ergo finis Dei in mundi creatione non fuit communicatio suae bonitatis, praesertim hominibus, qui tot, tantisque malis afficiuntur.

℟. *Conc. ant.* in sensu explicando, et *neg. cons.* Quoniam nondum in Theologia revelata sumus, et propterea sola naturali ratione procedere fas est, remittimus alibi explicandam causam physicorum malorum, et nunc sola naturali facultate disputantes dicimus, quod in duo genera distinguere opus est dolores omnes, et mala, quae patimur in hac mortali vita, in negativa scilicet, et positiva: illa reposita sunt in desideriis non satisfactis, haec in dolorosis sensationibus, quas a corpore anima recipit. Quippe nec illis, nec istis liber esse potest homo essentialiter finitus, et mortalis. Non illis: etenim cum desideria semper atque semper augeri possint in infinitum, necessario terminus esse debet in illorum satisfactione, ni tamen fieri posse dicas, ut homo possit esse beatissimus, id quod intrinsece pugnat. Ergo si mala negativa consistunt in desideriis non satisfactis, nullatenus illis liberi esse possumus. Quinimo, quia ratio suadet, et con-

firmat experientia, quod quo magis satisfit desideriis, eo magis illa augentur; inde patet, quod infelicitas negativa augeri debet in ratione directa, qua crescit satisfactio desideriorum (1). Idipsum dicendum de malis positivis. Etenim cum corpus finitum sit, et corruptibile, morti scilicet addictum, necesse est, ut morbis, doloribus, et morte tandem afficiatur. Nec, nisi perridiculum esset dicere, quod minui saltem possent istiusmodi mala, si a Deo, ut suam communicaret bonitatem, mundus fuisset creatus. Etenim cum nullimode fieri possit, ut omnino tollantur, alioquin beatissimus esse posset homo, id quod repugnat, propterea idem semper esset questus, quantumvis illa minuerentur, quia bona, et mala finita nulla sunt absoluta, sed omnia relativa.

17. *Contra* Atqui in mundo sunt ejusmodi mala, quae non bonitatem, sed malitiam potius indicant sui auctoris. Ergo semper dicendum, quod Deus illum creavit, non ut suam communicaret bonitatem, sed potius malitiam. *Prob. min. subs.* In mundo innumera patrantur peccata, quae dum sunt maximae injuriae erga Deum, homines addicunt morti aeternae, qua nullum majus malum reale, et intrinsecum. Ergo etc.

℞. *Conc. ant. sed neg. cons.* Procul dubio nullum majus malum reale, et intrinsecum, quam peccatum: et id quidem tam respectu Dei, quam respectu hominis. Verum quid inde? Officit forsan Dei bonitati, ut homines ejusmodi naturae creaverit, ut peccare possint? Quinimo summam potius

(1) Ex hoc patet quam erronee judicium efformamus, cum felices, vel saltem minus infelices, extimamus eos, qui divitiis, et honoribus affluunt. Augentur desideria in ratione nostrae cognitionis: cognitio crescit in ratione eorum, quae possidemus. Sed quo majora sunt desideria, eo saepius non habetur satisfactio. Ergo infelicitas negativa est in ratione divitiarum, commodorum, et bonorum, quae possidentur.

suam Deus in hoc ostendit bonitatem, et sapientissimum quoque consilium : ita enim libertate nos donans, dedit promereri vitam aeternam, qua nihil certo bonum majus. Peccata itaque sunt consequentiae humanae libertatis, et propterea dum summam hominum malitiam arguunt, ineffabilem evincunt Dei bonitatem, et mirifice confirmant nostram thesim, qua tuemur, alterum Dei finem in mundi creatione fuisse communicationem suae bonitatis. Et re quidem vera, numquid improbum, et iniquum dicemus Patrem qui pecuniam filio dedit, ut vitae necessaria comparet, si paterno dono ille abutens gladium emat, quo se interimat?

18. *Contra.* Atqui revera peccata non Dei bonitatem, sed potius ipsius invidiam, et malitiam ostendunt. Ergo etc. *Pr. min. subs.* Profecto Deus, quin laederet humanam libertatem, quae per vos est maximum bonum, posset vi gratiae ita nostram mentem illustrare, et corroborare voluntatem, ut tanto bono non abuteremur in aeternam nostram perniciem. Sed non fecit. Ergo etc.

℟. Cum, volente Deo, sermo erit de Divina gratia, tunc plenam, et adaequatam responsionem dabimus huic objectioni. Verum ut illius infirmitatem nunc etiam agnoscant adversarii, naturali ratione, qua sola modo disputamus, dicimus quod cum ita constitutus sit homo, ut non possit amplecti malum sub specie mali, neque respuere bonum sub specie boni, sicut covenit inter philosophos omnes, et intimus sensus nos docet; et cum humana praesens libertas hoc unum praestet, ut nostro pleno arbitrio possimus vel sequi primum judicium, vel prosequi, aut suspendere examen, ex quo, cum novae semper detegantur relationes, et circumstantiae, semper mutatur judicium intellectus, prout in Metaphysica demonstravimus; profecto si Deus ita humanum intellectum illustraret, ut res videret, uti reipsa in se sunt, et illarum omnes, et veras agnosceret relationes, quas habent cum no-

bis, nullimode tunc homo posset in Deum, et seipsum delinquere. Sed ubi, hoc in casu, facultas in homine operandi bonum, aut malum, quae, ex infinita Dei bonitate, est medium ex parte sui experiundi homines, et ex parte hominum vera causa meritorum pro altera aeterna vita beata? Datur utique hic status, sed in gloria coelesti, ubi libere, et incessanter amabimus Deum sine timore deficiendi. Verum id dabitur ratione meriti, et mercedis, post debellatos hostes, et subacta hujus vitae discrimina. Concludendum igitur quod libertas, etsi pro certo ponat ignorantiae defectum, tamen ista necessario posita, praesertim ratione optimi Dei finis, libertas, inquam, est maximum bonum; et propterea quod Deus, cum illa nos donavit, maximam suam communicavit bonitatem.

PROPOSITIO III.

Non solum ex grato animo, sed ex vera justitia etiam Deo debemus Religionis cultum.

19. Religionis nomine intelligitur cultus perfecti amoris, obsequii, et servitutis, cui debetur, praestitus. Sed Deo debetur hujusmodi cultus. Et re sane vera, ut in Jure Naturae ad evidentiam usque demonstravimus, Deus quia summe potens, summe sapiens, et summe bonus, ita ut perfectissime cognoscat media opportuna ad nostram felicitatem, facillime possit adhibere, et certissime adhibere velit, ipse verum, et summum jus habet super nos imperandi; et propter ea, quia jus imperandi dicit necessariam relationem cum obligatione obediendi in subditis, nos illum maximo honore prosequi et amare debemus, eidem in omnibus obedire, obsequi, et inservire. Ergo Deo debemus religionis cultum.

20. Rursus, sensus internus nos docet, et ratio ipsa confirmat, quod summo bono summus amor, summo benefacto-

ri summum obsequium, et summo Domino summa debetur servitus. Sed Deus est ipsa aeterna et infinita bonitas; est absolutus omnium Dominus, ut qui omnia ex nihilo creavit; et ut nostri auctor, conservator, et futurus etiam glorificator, est summus noster benefactor. Ergo absolute illi debemus religionis cultum, qui haec omnia comprehendit.

21. Tandem, ut in superiori thesi (§. 12) demonstratum est, duplex est Dei finis in mundi creatione, manifestatio scilicet suae gloriae, et communicatio suae bonitatis. Sed quaero, quomodo verificari poterit princeps Dei finis, quin Religionis cultus ipsi praestetur? Sane per Religionem, quantum fieri potest, Dei agnoscimus perfectiones, in quo tota reposita est prior Religionis pars, scilicet theoretica; et per Religionem ipsam eidem impenditur cultus amoris, obsequii, et servitutis, id quod absolvit partem praticam. Ergo si nullimode fieri potest, ut frustretur princeps Dei finis, cur mundum creavit, dicendum, quod omni jure illi tribuere debemus Religionis cultum.

Solvuntur objectiones.

22. *Ob.* Religio Dei opponitur bonitati, et providentiae. Ergo Deo non debetur. *Prob. ant.* Dei bonitatis, et providentiae est, homines, quantum fieri potest, felices reddere. Sed Religio nos facit infelices. Ergo etc.

℟. *neg. min.* Falsum, falsissimum est, per Religionem nos fieri infelices. Enim vero per Religionem fovetur, et subsistit vera inter nos societas, qua nullum nobis majus bonum in hac mortali vita. Et re quidem vera, abjecta Religione, uti videre est apud barbaras, et praesertim antiquas nationes, procul dubio quisque pro jure habet suas vires, ex quo undique, et necessario, sequi debent injustitiae, fraudes, homicidia, et cujusque generis scelera. Nec juvat dice-

re, quod leges humanae possunt in officio continere homines · Etenim facile, et saepe illae eludi possunt, praesertim cum crimina secreto patrantur. Sed adde, quod leges humanae nonnisi exteriores actiones respicere possunt. Sed experientia nos docet, quod si non coerceantur prava interiora desideria, facile sequitur quoque exterior actio. Ergo necessaria est alia lex, quae cogitationes etiam et prava desideria prohibeat, et alter legislator Deus, qui intima cordis scrutetur, et cognoscat. Si ergo nequit haberi societas sine Religione, et si omnium bonorum, quae haberi possunt in hoc mundo, maximum est humana societas, concludendum, quod tantum abest ut Religio nos infelices reddat, ut potius ipsa causa sit nostrae verae felicitatis·

23. *C.* Atqui Religio homines infelices facit. Ergo etc. *Prob.* Propter Religionem multa, et gravia incomoda nobis sustinenda sunt. Ergo etc.

℟. *Dist. ant.* Et ipsa incomoda causa sunt majoris boni, et verae felicitatis, *conc.* secus *neg. ant. et cons.* Plura quidem incomoda Religionis causà nobis sustinenda sunt. Verum inde habemus societatem, quae sola, ut jam dictum est, omnia superat et excedit: et eo vel magis, quod hujusmodi incomoda sequitur, et comitatur interior conscientiae pax, quae est unica mater verae felicitatis. Sed plus aequo concedamus tamen, quod plura, et etiam vera, et gravia incomoda Religionis causa nobis substinenda sint; quid inde? Non habebimus, ut alibi demonstravimus, a Deo aeternam gloriam pro mercede? Si ergo apparentia tantum, et levia incomoda propter Religionem sustinemus, et contra habemus bona, et commoda vera, maxima, et innumera, dicendum, quod Religio maxime confert verae nostrae felicitati, quia minus incommodum, bonum reale est, quoties majoris boni causa erit.

24 *C.* Atqui revera Religio homines infelices facit, imo infelicissimos. Ergo etc. *Prob.* Per Religionem habemus legem

per legem peccatum ; et per peccatum mortem , et quidem aeternam. Ergo per Religionem habemus mortem aeternam, qua nihil pejus. Et propterea etc.

℞· *Dist.* secundam partem *ant.* Per legem habemus peccatum, indirecte, idest per transgressionem legis, *conc.* directe *neg.* Ex adducto argumento hoc unum fas est deducere, nempe transgressores legis, et consequenter Religionis, fore infelices, sicuti contra felicissimi sunt, qui illam servant. Sed quid inde contra nostram Thesim concludi possit, profecto non video. Numquid mortifera dicenda est aqua, aut cibus, quia illam bibere, et hunc sumere nolentes, siti, aut fame pereunt? Cum ergo non Religio, sed ipsius potius defectus, nempe transgressio, homines infelices faciat, concludendum ipsam Dei bonitati, et providentiae non opponi, et proinde quod revera Deo debetur.

CAPUT II.

De existentia et veritate legis naturalis.

25. Nomine legis intelligitur voluntas ejus, qui jus habet super alios imperandi, sufficienter manifestata per modum tamen universalem, et constantem, nec non poenis, vel saltem praemiis, sancita.

26. Dicitur voluntas ejus, qui jus habet imperandi, quia qui verus superior non est, ejus voluntas nullatenus esse potest regula obligatoria actionum aliorum. Quod si ad evitandum majus malum conscientia dictat parendum etiam latronibus, et injuste aggressoribus, tamen illorum imperium non lex, sed violentia, et injuria dicenda est. Quod si quaeratur, in quibus proprie reponendum sit jus super caeteros imperandi, non diffitemur dicere, jus esse vocabulum relativum, ita ut non possit esse in uno, nisi in altero sit obligatio. Sic

tunc dicimur jus habere aliquod possidendi, cum caeteri obligatione tenentur non deturbandi. Ergo sic pariter, tunc quis verum jus habet imperandi, cum in aliis obligatio est obediendi.

27. Quoad fundamentum juris in caeteros imperandi, ex dictis apparet quod reponendum sit in potentia, sapientia, et bonitate. Etenim interiori sensu constat, quemque nostrum innata vi, quod idem est, ac dicere, ex Dei voluntate, trahi et duci ad nostrum bonum, et perfectionem. Sed hoc maxime assequimur sub imperio ejus, qui majori potentia, et sapientia, quam nos, praeditus, et simul beneficus est: Etenim ipse scit invenire, et potest, et vult adhibere media opportuna pro nostro bono. Ergo ex vi naturae tenemur nos subjicere imperio ejus, et ejusdem voluntati obtemperare. Et consequenter si in nobis est obligatio obediendi, in illo erit jus imperandi.

28. Dicitur *sufficienter manifestata*, secus ob ignorantiam vere invincibilem subditorum, nullimode ab eisdem servari posset. Et tertio loco dicitur *per modum universalem, et constantem*, et additur etiam, *ut sit poenis, aut saltem praemiis sancita*, ut primo distinguatur a praecepto, secundo a consilio.

29. Lex primo dividitur in Divinam, et humanam. Lex Divina est voluntas Dei sufficienter manifestata, per modum quidem universalem, et constantem, et poenis, aut praemiis sancita. Quod si qui jus habet imperandi sit homo, voluntas ejus simili modo manifestata appellatur lex humana.

30. Lex Divina duplex est, naturalis scilicet, et positiva, prout voluntas ejus nobis innotescit vel solo lumine rationis, vel aliquo exteriore signo, sive revelatione.

31. Duplex pariter est lex humana, nempe ecclesiastica, et civilis, prout princeps, qui jus habet illam ferendi, ecclesiasticus est aut saecularis.

32. Notandum primo, quod lex divina positiva duplici aspectu considerari potest, quoad mores scilicet, quos ad nostram veram felicitatem, et Dei gloriam, dirigit, et quoad occulta, et altissima mysteria, quae ab humana ratione nullimode perspici possunt in divina Natura, inter quae fas est numerare etiam sacramenta, quae data sunt vel ad conservandam, vel ad recuperandam Dei gratiam. In priori aspectu considerata, ipsa dici potest explicatio, et confirmatio legis naturae.

33. Notandum secundo, quod lex humana ecclesiastica est dilucidatio legis divinae positivae, et veluti regula pro adimpletione illius. Et sic pariter lex humana civilis, quae determinat praecepta pratica, quae caeteroquin quisque ex se servare deberet pro bono communi, et totius societatis, ex quo pendet felicitas cujusque.

34. Inde praesertim factum est, ut merito principes dicantur gerere vices Dei, *per me Reges regnant.* Ipsi enim a Deo dati sunt, ut pro felicitate populi sibi commissi, legem naturalem, quae est vera Dei voluntas, determinent, et poenis, aut praemio, omnes cogant ad illam servandam.

His breviter praenotatis, sit

PROPOSITIO IV.

Existit revera lex Divina naturalis.

35. *Prob.* Existit lex divina naturalis, si Deus jus habeat super homines imperandi, et revera suo jure voluerit uti. Sed res ita se habet. Ergo etc. *prob.* prima minoris pars. Uti supra breviter notavimus (§. 27), et fusius demonstravimus, et vindicavimus in Jure Naturae, potentia major praedita sapientia, et bonitate verum jus habet super alios imperandi, quoniam alii pro suo bono, quod tenentur pro-

movere, veram obligationem habent, se illi subjiciendi, et obediendi. Sed Deus est omnipotens, sapientissimus, et summe bonus, ex quo scit, potest, et vult nobis benefacere. Ergo verum jus habet super nos imperandi.

36. *Prob.* altera *min. pars.* Deus non casu, sed consilio, et fine sui digno mundum ex nihilo creavit (§. 7). Et quidem finis duplex est, manifestatio scilicet suae gloriae, et communicatio suae bonitatis (§. 12). Et propterea non solum ex grato animo, sed etiam ex vera justitia, ipsi debemus Religionis cultum (§. 19). Sed haec sua voluntas omnes verae legis characteres habet. Et quidem primo, ipsa cognoscitur, et innotescit sola naturali ratione, quae communis est omnibus hominibus. Ergo est sufficientissime manifestata, et per modum universalem, et constantem. Sed et quis dubitare poterit de ultimo charactere, quod scilicet praemio, et poena sit sancita? Procul dubio lex naturalis jubet, ut vivamus juxta dictamen rationis, hoc est ut vivamus juxta nostram naturam, et secundum circumstantias loci, temporis, status cujusque etc. ut sic vitemus malum, et assequamur bonum; ut amplectamur minus malum, ut majus vitemus, aut majus bonum consequamur, et contra renunciemus bono minori pro assequendo majori, aut majori malo vitando. Ergo adimplentes legem naturalem, sive illi obedientes, maximum bonum consequimur, quod in hac vita sperare fas est; et maximo malo contra afficiuntur ejusdem violatores. Dicendum itaque legem naturalem omni modo sancitam esse; et propterea concludendum, ipsam revera existere.

Solvuntur objectiones.

37. *Ob. primo.* Essentialis character legis est, ut sit per modum universalem: scilicet ut sit una, et eadem pro omnibus subditis, saltem ejusdem classis. Sed talis non est illa,

quam dictat humana ratio. Ergo nullatenus ista pro vera lege, et quidem a Deo summo Imperante, habenda est. *Prob. min.* Ratio naturalis est diversa, prout inter se diversi sunt homines. Ergo illius dictamen non unum, et idem est, sed diversum.

℟. *Dist. ant.* Ratio etc. est diversa in diversis hominibus circa principia, quae sunt evidentia omnibus, *nego*. Est diversa in consequentiis, quae ab eisdem principiis deducuntur, *conc. ant.* Ergo etc. *neg. cons.* Utique in diversis hominibus diversa est facultas ratiocinandi, quae cum sit facultas cognoscendi nexum rerum, et veritatum, necessario inde sequitur, ut non omnes eosdem, et cum eadem felicitate, videant nexus, et easdem ducant consequentias: et hoc pendet a diversa habitudine et structura, maxime cerebri partium, et etiam ab educatione, studio, et exercitatione. Verum id tamen non officit, ut nec unam, nec eamdem dicamus naturalem legem; sed sufficit, ut sit eadem in agnoscendis primis principiis, uti exempli gratia, omni religione colendum esse Deum; promovendam nostram veram perfectionem tam animae, quam corporis; et nedum nulla injuria afficere proximum, sed potius adjuvare, et favere eodem modo quo nobis fieri desideramus. Profecto haec tria, dum totam constituunt naturalem legem, adeo etiam clara sunt cuique, ut potius a natura nobis insita, quam acquisita, videantur. Dicendum ergo, quod diversa facultas ratiocinandi nihilum officit unitati legis naturalis.

38. *Contra.* Atqui diversa facultas ratiocinandi omnino destruit unitatem legis, quae naturalis dicitur. Ergo etc. *Prob.* Etsi detur uniformitas in agnoscendo prima principia, haec tamen facultas respicit tantummodo partem speculativam, et quidem in genere, non autem praticam, et exercitium individuarum actionum. Sed vera lex maxime respicere debet actiones individuas. Ergo diversa etc.

℟. *Dist. maj.* Et haec pars speculativa in genere includit praticam actionum individuarum, *conc. secus neg. maj. et conc. min. neg. cons.* Quippe nihil magis verum, et notum cuique, quam quod principia universalia inserviunt veritatibus peculiaribus. Ergo si nota sunt unicuique laudata principia universalia, quique rite quoque potest dirigere suas actiones peculiares, maxime si consultet intimum conscientiae motum. Sed non in omnibus, maxime remotis, et dfficilioribus veritatibus, et consequenter actionibus, omnes convenire poterunt. Quid mirum? Numquid forsan universitati legum civilium officit, quod etiam inter doctos Judices, et Interpretes illarum non convenit in ferendis sententiis? Ergo sicut sine laesione legum Judices non uniformiter judicant, et decernunt justitiam, et saepe quem absolvunt alteri, alteri damnant, dummodo tamen sufficiens studium in addiscendo leges, et diligens examen adhibuerint in suis ferendis sententiis; ita nec officit unitati legis naturae si in difficilioribus consequentiis, et veritatibus, non omnes homines eadem sentiunt, et operantur. Quinimo non offendunt, si invincibilis sit illorum ignorantia.

39. *C.* Atqui etiam in primis principiis humana ratio non eadem omnibus dictat. Ergo etc. *prob.* Primum principium naturalis rationis est vitare malum, et sequi bonum: sed non eadem sunt bona, et mala cuique. Ergo etiam in primis principiis etc.

℟. Fallacia nimis aperta propositum argumentum laborat. Procul dubio quia nec eadem est physica hominum dispositio, imo nec eadem cujusque semper, nec eaedem sunt circumstantiae, sive temporis, sive loci, sive aetatis, sive status, ideo non eodem modo homines semper operari debent, ut suo quique officio satisfaciat. Bene quidem quisque semper respicere tenetur suum bonum: sed semper illud, quod alienum sit ab omni injuria tam erga Deum; quam erga homines. Etenim verum bonum sejunctum esse debet ab om-

ni majori malo. Sed injuria erga Deum affert aeternum malum, et privat aeterno bono, et sic pariter illa erga homines, primo quia sic etiam alii agerent erga nos; secundo, quia sic jubet Deus in corde cujusque, et ratio dictat, quod effugere non possumus poenam sancitam a sua lege. Cum ergo ista omnia non eadem sint cuique, nec eadem semper, et in omni circumstantia; ideo una, et eadem semper est naturae lex nostrum praecipiens bonum, licet varius, et diversus esse debeat modus illam servandi. Concludendum igitur etc.

40. *Ob.* 2. Pro vera lege constituenda necessario requiritur ut poena, vel saltem praemio sit sancita. Sed ejusmodi non est dictamen rationis. Ergo nulla datur vera lex naturalis divina. *Prob. min.* Undique, et constanter videmus, quod bona, et mala sine ullo discrimine accidunt omnibus, tam illis, qui juxta dictamen rationis suas dirigunt actiones, quam illis, qui contra operantur. Ergo etc.

Dist. ant. Bona, et mala etc. sicut exterius apparet, *conc.* reipsa, et in se, *nego ant.* Ergo etc. *neg. cons.* Lex naturalis in eo tota posita est, ut vivat unusquisque juxta suam naturam, et physicam constitutionem, habito etiam respectu ad omnes circumstantias loci, temporis, status etc. Et quidem ipsa tota tribus absolvitur officiis: Scilicet primo, ut in signum nostrae omnimodae servitutis, et dependentiae Deo tribuamus verae Religionis cultum: Secundo, ut quoad licite fieri poterit, nosmetipsos servemus, et perficiamus; et id quoad corpus non solum, sed maxime quoad animam. Tandem, ut praestemus caeteris hominibus officia justitiae, et beneficentiae, quae humanam constituunt societatem. Ergo si juxta dictamen rationis vitam instituimus, hoc est legem naturalem servamus, primo justi, et grati erimus erga Deum, a quo maxima bona licet sperare; habebimus nostram perfectionem, qua nullum maius bonum in hac vita; et in nos ipsos redeunt a caeteris hominibus eadem officia et justitiae, et beneficentiae, un-

de vera fovetur societas sine qua nullum nobis esset commodum, et nulla etiam securitas vitae. Quod si contra vivamus, effugere nullatenus poterimus justissimam a Deo retributionem, ignorantiam, et innumera physica mala, quae necessario sequuntur rationem vitae contra propriam naturam: et infeliciores cunctis animalibus dulcissimis societatis fructibus privabimur. Utique ergo praemiis, et poenis sancita a Deo est lex naturalis; et propterea vera et prima divina lex existimanda est.

41 *C.* Atqui revera bona, et mala sine ullo discrimine eveniunt tam illis, qui juxta dictamen rationis suas dirigunt actiones, quam illis, qui contra vivunt. Ergo etc. *Prob.* Deus, qui est naturae auctor, et ad quem solum spectat jubere, et sancire naturae legem, nullum omnino posuit discrimen: etenim pro suo arbitrio dat hominibus salutem, divitias, opes, ingenium etc etc.; et ut vulgo dicitur, facit pluere super justos et injustos: quinimo forsan saepius injusti feliciorem vitam ducunt. Ergo etc.

℟. Si nullum discrimen ponit Deus in conferendis suis bonis, maximum tamen ponunt ipsi homines, qui illa gratis accipiunt. Sed contradictione laborat hoc argumentum. Etenim ponit pro certo praemium, et poenam, quibus lex sancitur, dari a Legislatore, antequam lex a subditis servetur, aut violetur. Secundo supponit, Deum aeque omnibus impertiri debere bona naturalia, quod omnino falsum est; alioquin caeteris quoque animantibus unam, eamdemque sortem dare deberet. Itaque, quod nos tuemur, est: Deus imperscrutabili suo consilio, prout vult, sua dona hominibus impertitur. Verum homines non aequali modo acceptis donis perfruuntur, sed juxta obedientiam cujusque dictamini rectae rationis. Et ratio evidentissima est, quia sicut prodest vivere juxta propriam naturam, et constitutionem, hoc est secundum rectae rationis dictamen, ita officit contra illud operari. Et

propterea sicut praemium certo assequuntur, qui naturalem legem servant; ita nullatenus effugere possunt poenas, qui eamdem violant. En ergo praemio simul, et poena lex naturalis optime sancita.

42. *C.* Atqui licet diverso modo homines acceptis a Deo donis prefruuntur, et quidem secundum illorum obedientiam dictamini rectae rationis, nullimode tamen, quae lex naturalis dicitur, vera sanctione donata dici potest. Ergo etc. *prob.* Princeps officium, quod recta ratio dictat, est Religio, et pietas erga Deum. Sed nullum verum, universale, constans, et proportionatum discrimen experimur inter justos, qui recte hoc officio funguntur, et injustos, qui non servant: quinimo et isti forsan feliciorem suam vitam ducunt. Ergo etc.

℟. *neg. min.* Multum certo discrimen est inter vitam justorum, ed illam impiorum: et id quidem non repetimus, ex quo saepe saepius brevissimi sunt honores, et commoda impiorum, et continuo, praeter spem, in maximam humilitatem, et miserias decidunt, quo circa bene illis aptari potest *Vidi impium superexaltatum: transivi, et ecce non erat:* Sed discrimen, et vere magnum, est in modo, et ratione, qua pii et impii, acceptis a Deo bonis fruuntur. Quippe non in divitiis, non in otio, nec etiam in bona valetudine, reponenda est humana felicitas, sed in interiori conscientiae pace, cujus delicias impii prorsus ignorant. Id evidenter evincitur ex ratione, et experientia. Ratione quidem quia cum omnia necessario in mundo sint finita, idcirco omnia relativa sunt, et nihil datur absolutum, nihil absolute bonum, nihil absolute malum; sed quod bonum est respectu majoris mali, malum erit respectu majoris boni, et contra.

Ergo felicitas, sicut et infelicitas, non est absoluta, sed potius relativa: scilicet non unice reponenda est in possessione, aut privatione bonorum, sed revera in majori, aut minori numero desideriorum, quibus satisfieri, vel non satisfic-

ri potest. Sed voluntas justorum semper conformis est voluntati Dei, quoniam in hoc consistit essentialis ratio veri religiosi cultus: ergo nihil accidit contra voluntatem ipsorum, nullum habent desiderium non satisfactum; et semper propterea negativa felicitate debent gaudere: quod contra necessario evenire debet impiis quantumvis bonis, et divitiis affluant, quia ex numero illorum magis semper crescit desiderium aliorum, et saepius contra ipsorum voluntatem res accidunt, saepius illorum desideriis non fit satis. Et id constanter confirmatur ab experientia. quoniam laetos semper videmus justos, etsi exterius miseros, et taedio, aut tristitia affectos impios, licet divitiis, et commodis abbundantes. Datur ergo, datur discrimen, et quidem reale et magnum, inter vitam justi, et injusti.

43. *C.* Atqui nec etiam in intima pace cordis pro justis, nec in conscientiae stimulis pro impiis vera, et adaequata retributio reperitur. Ergo dicendum, quod vera sanctione caret illa lex, quae dicitur naturalis. *Prob.* Pro vera, et adaequata sanctione legis, praesertim si a justo judice proficiscitur praemium, et poena debet esse proportionata, sive in ratione directa bonitatis, aut malitiae actionum. Sed interea pax justorum, sicut et stimulus coscientiae in impiis, est in ratione prorsus inversa, quoniam illa, et iste imminuuntur, prout augetur numerus actionum. Ergo etc.

R. Ultro fatemur, interiorem pacem justorum et multo magis conscientiae stimulum scelestorum, et idcirco illorum praemium, et poenam istorum, in hac vita esse potius in ratione inversa, quam directa meritorum; et propterea hoc respectu sanctionem legis sub justissimo judice Deo non esse omnibus numeris prefectam. Verum non inde sequitur, legem naturalem sua sanctione omnino carere, quia revera et justi praemium, et scelesti poenam habent. Sed cur justissimus et sapientissimus Deus id permittit? Ob nobiliorem utique finem

hoc a Deo factum est. Et quidem, ut quasi ad evidentiam cognoscamus, dari alteram, et ipsam interminabilem vitam, in qua ad justitiae rigorem omnia compensantur, id quod fieri nequit in hac vita brevi, et finita. Etenim cum nemo dubitare possit, quin sapientissimus sit Deus, et sapientissime omnia ab ipso disponantur, procul dubio videntes, quod non in ratione directa factorum praemia accipiunt justi, et poenas scelesti, certissime inde concludimus, alteram dari vitam interminabilem, in qua, id quod pro infinita malitia peccati solvi nequit intensitate poenae tempore finito illatae, solvatur poena finita, ast duratione infinita. Ergo non defectum sanctionis legis naturae arguit si nec praemium, nec poena procedit in hoc mundo in ratione directa, sed potius summam Dei sapientiam, providentiam; et justitiam.

PROPOSITIO V.

Lex, et Religio naturalis dici possunt unum, ed idem.

44. *Prob.* Lex naturalis, quae est voluntas Dei per dictamen rectae rationis a nobis cognita, haec tria, et nihil aliud, nobis praecipit: scilicet, ut obsequium, seu verae religionis cultum Deo praestemus: ut veram nostram perfectionem promoveamus: et ut exerceamus justitiae et beneficentiae officia erga proximum. Sed haec omnia, praeterea nihil aliud, complectitur vera, et completa naturalis Religio. Ergo lex, et religio etc. *Prob. min.* Vera Religio praesertim, ne dicam unice, consistit in tota adimplenda Dei voluntate. Sed voluntas Dei, quae per dictamen rectae rationis cognita, dicitur, et est, lex naturalis, nedum obsequium praecipit erga ipsum Deum, sed ut promoveamus quoque nostram veram perfectio-

nem, et ut justitiae, et beneficientiae officia exerceamus erga proximum. Ergo etc.

Satisfit objectis.

45. *Dices.* Quae diversum, et oppositum subjectum, et objectum habent, non unum, et idem sunt, sed diversa inter se. Sed lex, et Religio naturalis diversum habent subjectum, et objectum; illa enim habet pro subjecto Deum, et pro objecto homines, et haec pro subjecto homines, et pro objecto Deum. Ergo non sunt unum, et idem.

℟. *neg. maj.* Falsum quod non possunt esse unum et idem illa, quorum invicem mutantur subjecta in objecta. Quinimò nec aliter esse potest, ubi sermo erit de lege. Quippe quae dicitur lex, cum respicit principem praecipientem, eadem dicitur observatio legis cum respicit subditos, qui illam servare tenentur. Haec profecto sunt unum et idem, et tamen termini invicem mutantur. Sic pariter in re nostra, quae respectu Dei praecipientis in corde nostro dicitur lex naturalis, eadem respectu hominum, qui illam servare tenentur dicitur religio naturalis.

46. *C.* Atqui mutatio terminorum in lege naturae, et in Religione naturali, dicit verum et magnum discrimen illarum. Ergo etc. *Prob.* Religio naturalis est tantum pars legis naturae; etenim ex tribus officiis, quae praecipit lex naturalis, scilicet erga Deum, erga nosmetipsos, et erga proximum nostrum, dicit tantummodo illud erga Deum. Sed magnum discrimen est inter totum, et unam partem illius. Ergo etc.

℟. *Dist. maj.* Religio naturalis etc. si sumatur in vero suo sensu, nego; secus concedo; et *conc. min. nego cons.* Sicut tria officia jubet lex naturalis, scilicet summum amorem, et obsequium erga Deum, verum amorem erga nosmetipsos, et justitiae, beneficientiaeque actus erga proximum; ita haec

eadem, et tota praestare debent, qui verae Religionis cultu Deum prosequi amant. Etenim princeps, imo unicus character verae religionis est in omnibus obtemperare Dei voluntati. Sed Dei voluntas per dictamen rectae rationis manifestata, est lex naturalis prout tria officia amplectitur, scilicet erga Deum, erga nosmetipsos, et erga proximum. Ergo Religio naturalis non unius tantum partis, sed totius naturalis legis, est observatio: et idcirco lex, et Religio naturalis sunt unum, et idem.

47. *C.* Atqui Religio naturalis est unius tantum partis, non vero totius legis naturalis observatio. Ergo etc. *prob.* Religio, prout vocabulum ipsum indicat, respicit tantum Deum, sed lex naturalis, praeter Deum respicit quoque nos ipsos, et proximum nostrum. Ergo etc.

℟. *dist. maj.* Religio naturalis immediate et directe respicit tantum Deum, *conc.*; *secus neg. maj. et conc. min. neg. cons.* Ut jam dictum est, vera Religio est in omnibus obtemperare Dei voluntati. Sed praeter summum obsequium erga seipsum, Deus per legem naturalem praecipit amorem nostri, et proximi. Ergo tria haec omnia respiciunt Deum; primum quidem immediate, et directe; indirecte, et mediate caetera. Concludendum igitur etc.

PROPOSITIO VI.

Ad verum Religionis cultum Deo praestandum non sufficiunt soli interiores animi actus, sed necessarii quoque sunt actus exteriores corporis.

48. *Prob.* Religio naturalis, et lex naturalis sunt unum et idem (*ex. praec. prop.*). Sed ad naturalem Religionem servandam, praeter actus interiores animi, maxime necessarii sunt etiam exteriores corporis actus. Ergo etc. *Prob. min.* Lex naturalis et conse-

quenter Religio naturalis (*ibidem*), quae est Dei voluntas per dictamen rectae rationis manifestata, tria praecipit, scilicet ut summo amore, et obsequio prosequamur Deum, ut veram nostram perfectionem promoveamus, et ut justitiae, et beneficentiae officia exerceamus erga proximum. Sed ad haec omnia praestanda maxime, et absolute necessarii sunt actus exteriores, et forsan magis quam interiores. Ergo etc. *prob. min.* quoad singula. Et quidem quoad primum, procul dubio homo quoad totum suum esse, obsequium, et servitutem Deo praestare debet, omnia enim a Deo habet, et nihil sine fine sui digno creavit Deus (§. 8); et item princeps sui finis est manifestatio suae gloriae (§. 13), quae nonnisi religioso cultu haberi potest. Sed homo constat anima et corpore. Ergo aeque ac interioribus animae actibus, actibus quoque exterioribus corporis, religiosum cultum debet praestare Deo. Hoc quidem ex rigore justitiae, ut per se, et ex dictis, patet. Sed adde, quod exteriores Religionis actus multum inserviunt ad excitandos, et sustinendos interiores in nobis, et ad promovendos in aliis, ad quod ex charitate tam erga Deum, quam erga proximum, tenemur.

49. Quoad reliquas duas partes adeo necessarii sunt exteriores actus, ut sine illis vani prorsus, et inutiles essent interiores. Quomodo enim haberi posset perfectio nostri spiritus, quae unice reposita est in illustratione intellectus, pro cognoscendo vero bono, et secernendo ab apparenti; et in inclinatione voluntatis ad amplectendum, et sequendum rectum judicium intellectus, sine longo, et profundo studio scientiarum, sine lectione librorum, sine voce praeceptorum, consilio amicorum, et praeceptis legum, et superiorum? Unde sperare poterimus perfectionem corporis, quae in bona valetudine consistit, quaeque a commodis vitae necessariis maxime pendet, sine discreto labore manuum nostrarum, sine

motu corporis, sine societate, quae solis exterioribus actibus innititur, fovetur, et servatur?

50. Sed quid dicemus de officiis justitiae, et beneficentiae praestandis erga proximum? Numquid mente tantum, et non re fas erit facere promissa, servare contractus, dare cuique quod suum est, non inferre injuriam, impedire, quantum in nobis est, si alii inferant, pietate prosequi parentes, obedire principi juste imperanti, docere imperitos, succurrere miseris, et omnia omnibus praestare, quae nobis ab aliis fieri amamus? Sed jam taedet, et pudet plura afferre. Dicendum ergo, quod ad verum Religionis cultum etc.

Diluuntur objectiones.

51. *Dices.* Deus juxta suam naturam colendus est. Sed ipse est purissimus spiritus. Ergo in spiritu solum, non vero etiam exterioribus corporis actibus est colendus.

℟. *Dist. maj.* Deus colendus est juxta suam naturam, hoc est ut cultus non dedeceat suam naturam perfectissimam, *conc.* colendus est a nobis tantum in spritu, quin interiores actus consocientur cum exterioribus, *nego.* Dum dicitur Deus in spiritu adorandus est, quia spiritus ipse est, addendum quoque est, , *et in veritate*: scilicét adorandus est juxta suam perfectissimam naturam, non vero falsa, et indigna superstitione. Adorandus est in veritate: hoc est, actus exteriores corporis, ut Deo placere possint, debent respondere actibus interioribus cordis; contra quod operantur hypocritae, qui dum ore laudant, corde maledicunt, aut exterioribus actibus affectant pietatem, quam in corde non habent. Itaque rejiciendus, et execrandus est istiusmodi cultus, quoniam spiritu, et veritate adorandus est Deus, qui, ut spiritus purissimus, scrutatur corda nostra, nec fieri umquam poterit, ut ei illudetur.

52. *C.* Atqui ex quo Deus est purissimus spiritus, ipse spiritu solum, non vero actibus quoque exterioribus corporis colendus est. Ergo etc. *Prob.* Actus exteriores corporis ad nihil aliud inserviunt, nisi ad manifestandum actus interiores mentis. Sed Deus, quia purissimus spiritus, immediate scrutatur, et videt corda hominum. Ergo etc.

℟. *neg. maj.* Non ideo necessarios dicimus actus exteriores corporis ad verum Religionis cultum Deo praestandum, quasi illis egeat Deus, ut agnoscat statum interiorem nostrae mentis; sed necessarios propugnamus, quia sic vult, et a nobis postulat ipse Deus. Et quidem primo, quia naturalis ratio, per quam illius cognoscimus voluntatem, manifeste dictat, quod ut homines, scilicet ut anima, et corpore simul efformati, eum colere debemus. Secundo, quia actus exteriores saepe excitant, et sustinent actus interiores. Tertio tandem, quia sunt veluti stimulus caeteris hominibus, quorum bonum promovere tenemur, ad similes interiores actus excitandos.

53. *C.* Atqui exteriores corporis actus in negotio Religionis, quam Deo praestare debemus, nihil prorsus inserviunt. Ergo etc. *Prob.* Ideo Deo debetur Religio, quia necessaria ipsa est ad principem finem, quem sibi proposuit in mundi creatione, manifestationem scilicet suae gloriae. Sed ad id nihil prorsus inserviunt actus exteriores corporis, quia corpus caret intelligentia, in qua sola reposita est Divinae gloriae manifestatio. Ergo etc.

℟. *dist. min.* Nihil prorsus ad id inserviunt actus exteriores corporis directe, *conc.* indirecte, et mediate, *nego min.* Ergo etc. *neg. cons.* Iterum dico: exteriores corporis actus necessarii sunt ad veram religionem Deo praestandam, et quia sic vult, et jubet Deus ipse, quoniam corpore nos induit; et quia corpore indigemus ad excitandos interiores actus Religionis; et corpore etiam nobis opus est ad cognoscenda mirabilia, quae pro nostro commodo Deus ex nihilo creavit, unde

agnoscendo etiam illius infinitam potentiam, sapientiam, et bonitatem, princeps ejusdem finis verificatur, manifestatio scilicet suae gloriae. Quippe omnia reipsa, et ex se, deberent cognoscere, et laudare Divinam Majestatem, sed quia imperscrutabili suo Consilio non placuit Deo cuncta intelligentia donare, ideo quae sensu carent, mediate tantum enarrant Divinam gloriam, motivum nempe praebendo hominibus laudandi, et gratias agendi. Ergo humanum corpus, quia ab anima informatum, potest immediate, et directe, licet materialiter tantum, suos actus dirigere in gloriem Dei, utique dirigat necesse est. Et propterea concludendum, quod ad verum, et completum religionis cultum Deo praestandum etc.

CAPUT III.

Non sufficit naturalis lex, ut duplicem sibi propositum finem in Mundi Creatione Deus assequatur.

54. Nullus quidem dubitat, nec si maxime velit, dubitatare potest, quin ens perfectissimum perfectissime assequatur suarum operationum finem. Etenim si assecutio finis pendet a positione mediorum, et est in ratione ipsorum, quomodo fieri poterit, ut vel in minimo frustretur finis Dei in suis operibus, si sapientissimus ipse est, ut opportuna media cognoscat, et omnipotens, ut adhibeat? Omnia igitur Deus in sapientia disposuit, et omnia perfectissime suum ordinem servant, nec unquam propterea vel in minimo frustrari poterit finis illius. Sed adimpletur ne duplex Dei finis, manifestatio scilicet suae gloriae, et communicatio suae bonitatis, quos, ut demonstratum est (§. 12) sibi proposuit, per solam legem, et Religionem naturalem in praesenti statu hominum, an vero quid aliud sit necessarium? Insipiendo, et blasphemando, et forsan etiam aliter in corde suo sentiendo, asserunt Dei-

stae, et Naturalistae, qui quasi pecudes nihil aliud, praeter hanc terrenam, et mortalem vitam, et nullum alium supernaturalem ordinem agnoscentes, e medio tollunt omnem revelatam doctrinam, et sola naturali ratione, naturalibus tantum viribus, homines suo muneri satisfacere posse et erga Deum, erga seipsos, et proximum perfricta fronte dicunt, et tuentur. Contra istos ergo serio, et pro viribus agendum est. Quapropter primum illorum veluti propugnaculum, nempe indifferentismum opus est aggredi, et expugnare. Sed prius determinandum est, quid nomine indifferentismi intelligitur.

55. Itaque indifferentia in negotio Religionis triplici modo accipi potest. Primo, ut indifferens nobis sit aliqua doctrina revelata, quoniam sola Religio naturalis, quae est illa Deistarum, sufficit, ut dignus, et sufficiens Religionis cultus Deo tribuatur. Secundo, quod sufficit cuique illam sequi Religionem, in qua natus est, et quae a sectatoribus pro revelata habetur. Tandem sumi potest pro tolerantia civili, qua suprema auctoritas facultatem facit exteris nationibus, ut libere quaeque actus exerceat suae Religionis.

56. Hanc postremam indifferentiam, quae pro bono pacis saepe necessariā est, nos neque probamus, neque rejicimus. Videant pro sua prudentia illi, quibus curam Deus dedit populorum. Hoc unum dicimus contra illos, qui nimis facile scandalum patiuntur, et nimis facile etiam mussitant, scilicet: *Non lux a tenebris*; *sed tenebrae a luce dissipantur.*

Contra Deistas igitur, et defensores theologici tolerantismi, ut vocari solet secunda indifferentia, sit.

PROPOSITIO VII.

Indifferentismus in negotio Religionis penitus est proscribendus.

57. Priusquam veritas nostrae thesis demonstratur, admonendum est, quod modo sola naturali ratione disputamus, quapropter sola etiam ratione indifferentismum refellimus, omisso quocumque theologico argumento.

58. *Prob. primo respectu Dei.* Deus est ipsa veritas, et est ens simplicissimum, et perfectissimum. Ergo mendacium nec approbare potest, nec circa illud potest esse indifferens. Sed ex pluribus, et oppositis Religionis Cultibus unus tantum verus esse potest, et omnes alii necessario sunt falsi. Ergo indifferentismus nullimode Deo placere potest. Et re quidem vera, ille tantummodo Religionis cultus Deo placere potest, qui est sui dignus, si non positive, id quod repugnat propter infinitam, et incomprehensibilem illius Majestatem, saltem negative, ut scilicet falsa, et indigna de illo non contineat, et qui respondet principi sui fini, (§. 11) manifestationi scilicet suae gloriae, et id tum quoad partem praticam, tum quoad theoreticam. Sed ex pluribus unus tantum potest esse Dei dignus, quia unus tantum potest respondere parti theoreticae, et consequenter praticae, ut quae necessario a theoretica pendet. Etenim si Religio theoretica in eo tota est, ut veram, et convenientem cognitionem, saltem negative, habeamus de Dei perfectionibus, quomodo plures, et oppositae etiam ideae, et opiniones, omnes verae esse poterunt? Nonne ex duabus propositionibus contradictoriis una tantum potest esse vera, et altera necessario est falsa? Quomodo e. g. verae simul partes theoreticae Religionum Judaeorum, Mahumetanorum, et Christianorum, si Judaei Christum blasphemant ut impostorem, Mahumetani illum habent ut simplicem hominem,

et eumdem Christiani adorant ut verum Deum? Quod si pratica necessario sequitur naturam theoreticae, nonne absolute repugnat, ut diversus, et oppositus obsequendi modus Deo placere possit? Ergo indifferentismus in negotio Religionis penitus est proscribendus.

59. *Prob.* 2. Nec minor apparet repugnantia respectu hominum, ut finem assequantur, cui a Deo destinati sunt. Quippe diversa, et opposita media necessario ducunt ad diversum, et oppositum finem. Ergo diversi, et oppositi Religionis cultus, qui sunt media, nullatenus ducere possunt homines ad eumdem assequendum finem, cui Deus illos destinavit. Si media sunt veluti causae, nunquid diversae, et oppositae causae producere valent eumdem effectum? Item: si diversi, et oppositi Religionis cultus non possunt placere Deo (ex §. sup.), nunquid fieri poterit, ut homo, veluti pro praemio, et mercede, suum a Deo assequatur finem, tali injurioso modo illum prosequendo? Absint tot, tantaque absurda, et deliria!

60. Tandem, ut homo Deo placeat, a quo majora dona expectare debet, juxta alterum Dei finem, quem habuit in mundi creatione, ipse ut prudens se gerere debet, ut sincerus, et ut gratus verum illi referens cultum. Sed talem non se praebet, qui indifferens est in negotio Religionis. Etenim ex pluribus, et diversis modis colendi Deum, quidnam ipsi persuasum est, omnes ne esse veros, et Deo gratos; an verò unum tantum; aut ne nullum omnino? Non primum, quia contradictoria simul vera esse non possunt, id quod ipse Rousseus agnoscit (Emile, t. 2. p. 93): Si unum; ergo injustus et ingratus erit, si omni studio non quaerat, quinam ille sit, ut sequatur: si nullum; ergo pessimus erit hypocrita, qui in re tam gravi simulat, quod non credit, cum gravi Dei injuria. Ergo semper dicendum, quod indifferentismus penitus est proscribendus.

Solvuntur objectiones.

61. *Ob.* Ablato indifferentismo, necesse est, ut negetur Dei justitia. Sed impium est hoc dicere. Ergo admittendus est indifferentismus. *Prob. maj.* Qui aliquem innocentem poena afficit, aut etiam aliquo bono privat, ille sine dubitatione non justus, sed injustus dicendus est. Sed, ablato iudiffe-rentismo, Deus vel poena afficere deberet, vel saltem ali-quo bono, finis scilicet consecutione, privare tot homines, qui sine sui culpa non verum Religionis cultum illi tribuunt. Ergo etc.

℟. *conc. maj. sed negan. minoris suppositum.* Utique qui aut falsum, aut indignum, et superstitiosum Religionis cul-tum Deo tribuunt, Deo nequiequam placent, et idcirco poe-na afficientur, et praemio privabuntur, nempe assecutione fi-nis, cui ab optimo Deo destinati sunt: verum nusquam id sine culpa ipsorum. Et requidem vera (de Religione tantum naturali sermo nunc est, aut si de revelata etiam, supponi-mus, saltem suspicari de falsitate patriae Religionis, et nolle adhibere, media, studium scilicet, et diligentiam, ut vera in-veniatur), quis ex seipso, et evidenter etiam, non videt, Deo uti nostro Creatori, et Conservatori, omne obsequium praestandum esse; et promovendum omni studio veram no-stram perfectionem; el justitiae, ac beneficentiae actus erga proximum esse servandos? Quod si quis vel quae sua natu-ra vitiosa sunt, et scelesta, quocumque modo, etiamsi doc-tus fuerit ita a Deo revelatum esse, ipsi Deo tribuat; vel de eodem credat, quae dedecent perfectissimam Divinam Na-turam; aut scienter agat contra seipsum, et proximum: is nullatenus excusari potest, quia contra dictamen rationis ope-ratur. Paucis verbis. Lex, et Religio naturalis est agere juxta dictamen rectae rationis; et propterea omnes, qui ita agunt, recte (naturaliter) agunt, et omnes dicuntur eundem Re-ligionis naturalis cultum Deo tribuere, licet non eodem mo-

do Dei perfectiones cognoscant, quia non idem lumen rationis est omnibus: sufficit, inquam, ut una dicatur Religio naturalis, si quisque sequatur principia universaliora, quae scripta sunt in corde cujusque, et ex illis rectas consequentias conetur ducere, quisque juxta proprias vires (iterum dico de naturali rectitudine sermo est). Quod si aliquis vel contra universaliora principia, quae nota sunt cuique, agat; vel malitiose, aut etiam culpabili ignorantia agat contra legitimas consequentias illorum principiorum, iste profecto contra legem naturalem agit, et propterea quacumque intentione suas exercet operationes, ipsius cultus Deo non placet. Unde, cum rejiciendum indifferentismum tuemur, istiusmodi superstitiosos, et culpabiles cultus animus est rejicere. Cumque id verum sit, etiam cum contra universaliora principia naturalia, et directe contra verum dictamen rationis, aliquid in patria religione deprehendatur, idcirco universaliter damnamus indifferentismum.

62. *C.* Atqui nisi admittatur indifferentismus, Deus injuste poena afficeret sectatores diversorum Religionis cultuum. Ergo etc. *Prob.* Religionis cultus non versatur circa universaliora, et abstracta theoretica principia, scilicet Deum esse colendum, promovendam nostram perfectionem, et sociabilitatis actus exercendos; sed potius in interpretatione illorum principiorum, et modo, quo in praxim reducenda sunt. Sed in hoc nequit haberi uniformitas, quia diversa est mentis cujusque intelligentia, et perspicacia, et diversa educatio, et consuetudo hominum, et quidem sine ipsorum culpa. Ergo nisi admittatur etc.

℟. *dist. min.* Sed in hoc haberi nequit uniformitas in essentialibus, *nego*; in accidentalibus, et sine alio auxilio Dei, *conc. min. et neg. cons.* Cum dicimus indifferentismum penitus esse proscribendum, quod ad legem naturalem pertinet, loqui intelligimus de principiis universalioribus, qui sine culpa ignorari non possunt, et quoad praxim, de rebus essentialibus, et quae immediatae, vel quasi immediatae consequen-

tiae sunt eorundem principiorum. Quod si sermo erit de consequentiis, praesertim remotis, et de modo praeciso, quo in praxim reducendae sint; nedum insufficiens dicimus dictamen rationis cujusque, ut conformitas universalis habeatur; sed contra tuemur, absolute opus esse explanatione, et positiva regula, ut conformitas ista tam theoretici, quam practici cultus habeatur. Qnin imo adeo constans est haec nostra sententia, ut inde praesertim deducamus necessitatem divinae revelationis, ut scilicet perfecte determinetur, et una omnium fiet lex naturalis in cunctis officiis ergo Deum, erga nos, et nostrum proximum. Itaque nostra sententia est: Indifferentismus penitus est proscribendus, et quidem quoad varias, et diversas religiones, quae glorioso revelationis titulo donantnr, et quoad essentialiter varias interpretationes, praesertim in praxi, legis, et Religionis naturalis; quia essentialis religionis cultus diversitas nec placere potest Deo, nec potest ad destinatum finem perducere homines: et id sufficienter demonstratum est (§. 58, e aeq.). Sed adversarii opponunt, quod nullimode fieri potest, ut homines uniformiter naturalem legem interpretentur in consequentiis universaliorum principiorum, et uniformiter in praxi servent. Quid ergo? Nos libenter in explicato sensu admittimus; ast non indifferentismum inde deducimus, sed istam potius illationem. Deus vere vult coli ab hominibus, et vere illis suam communicare bonitatem, propterea enim creavit mundum (§. 18.). Sed ad haec non sufficit per se lex naturalis, quia non eodem modo illam interpretantur homines. Ergo Deus ipse revelationis ope legem naturalem debet explanare, et reddere unam, et eamdem in omnibus essentialibus, et alia necessaria media tribuere. Et quidem si satis non existimat justus legislator pro omnibus subditis suas scribere leges, sed explanat quoque per subalternos ministros, nullimode fas erit dubitare, qnin idipsum fiat a Deo summo bono, cum praesertim uniformitatem cultus ipse postulet.

63. C. Atqui nullimode haberi potest uniformitas Religionis, neque in essentialibus et immediatis consequentiis principiorum per dictamen rationis; neque in caeteris per doctrinam revelatam. Ergo, nisi admittatur indifferentismus, injustus esset Deus afficiens poena, aut privans praemio, qui non eumdem Religionis cultum ipsi tribuunt. *Prob.* Et quidem primo. Nullus nostrum in dubium revocat, quod essentiale principium humanae rationis sit, vere contradictoria se invicem destruere, et nullimode dari posse, quia immediate urgent principium contradictionis *non potest idem simul esse, et non esse.* Et item nemo dubitat, quin sit vere contradictorium, dari plura entia infinita. Sed plures fuerunt, et quidem integrae nationes, et sunt adhuc, quae pluralitatem Deorum, sive perfectissimorum entium, veneratae sunt. Ergo si in primis principiis tantum caecutit humana ratio, nullimode per dictamen ipsius haberi poterit uniformitas Religionis, et nequidem in essentialibus. Et idcirco, rejecto indifferentismo, injustus esset Deus etc.

64. Sed nec uniformitas ista haberi potest auxilio revelationis. Et quidem, tunc per revelationem Religionis uniformitas haberetur, cum certo constaret cuique quaenam esset vera doctrina revelata, et qui genuinus sensus illius. Sed ratio ipsa, et experientia evidenter, et constanter evincunt, id nec verum esse, nec fieri posse. Etenim plures sunt, et oppositae inter se Religiones, Haebreorum, Paganorum, Christianorum, et Turcarum, quae omnes sua quaeque revelatione gloriantur. Procul dubio ex illis una tantum potest esse vera. Sed quomodo ista a falsis discernetur? Omnes sectatores cujusque deberent esse acri ingenio praediti, eruditi in omnium linguarum scientia, possidere omnia media ad id necessaria, et frui etiam maximo otio. Sed ista omnia nusquam haberi possunt, et maxime ab omnibus. Ergo nisi admittatur indifferentismus, injustus esset Deus etc.

65. ℟. Et quidem ad primum dicimus, quod pluralistas

Deorum per se primo aspectu non deprehenditur repugnans, nec immediate fluit a principio contradictionis, sed talis cognoscitur per seriem ratiociniorum. Primo enim demonstrari debet absoluta necessitas existentiae entis perfectissimi. Secundo, necesse est, ut clare constet, inter perfectiones maxime numerari illam, ut scilicet, dum ens a nullo alio pendet, omnia tamen ab illo dependeant. Tertio: conveniat inter omnes necesse est; nomen Dei nulli, quantumvis perfecto, convenire, sed tantum perfectisssimo, ita ut, dum in nihilo ab aliis pendent Deus, in omnibus caetera cuncta ab ipso dependeant. Et tandem fas erit concludere, quod omnino repugnat existentia plurium Deorum. Sed quis non videt, non omnium esse hujusmodi ratiocinationem, sed philosophorum tantum? Sed nunquid propterea accidentalis, et non essentialis error erit Polytheismus in negotio Religionis? Quinimo est maxime essentialis, quia per se destruit omnino veram ideam Divinitatis.

66. Sed inde quaerunt adversarii: quaenam erit sors illorum, qui sine ulla sui culpa, sed bona fide, et ignorantia prorsus invincibili Polytheismum sectantur? Nunquid poena afficientur in altera vita, et praemio privabuntur? Certo id non quadrat cum summa justitia Dei, quae non sinit, damnari insontes. Ergo necessario admittendus est indifferentismus. Et hoc ipsum dicendum respectu illorum, qui nequeunt distinguere, quaenam inter plures sit vera Religio revelata, et propterea bona fide Religionem patriam sectantur.

67. Ad haec itaque respondemus. Et quidem primo distinguendo poenam positivam a negativa, hoc est a privatione praemii, dicimus, quod nulla ignorantia, quantumvis invincibilis, Paganorum, et nulla prorsus impotentia cognoscendi falsitatem patriae Religionis, officit Dei justitiae, si praemio illos privabit. Nullum enim jus habet ad praemium quicumque, licet sine culpa, legem non servat, quia praemium est merces, quae non datur, nisi ei, qui posuit opus. Quoad

poenam vero dicimus cum Reverendissimo Episcopo I. B. Bouvier Philosophiae parte tertia, art. tertio in respons. ad tertiam objectionem. *Fieri potest, ut quis homo fidei, et inculpabiliter falsae religioni adhaereat; in eo autem casu ob suam ignorantiam non damnabitur, quia Deus est justus, et impossibilia nunquam jubet.* Itaque isti omnes non damnatur positive, sed negative tantum; scilicet liberi erunt a poena, sed non assequentur praemium.

68. Sed et hoc ipsum tunc verum esse dicimus, cum non solum nulla fuit illorum negligentia, nulla suspicio falsitatis patriae Religionis, sed et caetera adimpleverunt naturalis Religionis officia: alioquin, licet sine lege (positiva) peccaverint, sine lege peribunt, ut scribebat Apostolus ad Rom. cap. secundo, rationem addens: *Cum enim gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sunt lex.*

69. Et haec ipsa dicta sint contra alteram partem objectionis: si tamen addas, quod non est adeo difficile, ut asserunt indifferentistae, agnoscere falsitatem patriae Religionis. Etenim ut infra docebimus, non opus est perfecte cognoscere omnia cujuscumque Religionis dogmata, et omnia inter se conferre; sed sufficit in illa deprehendere aliquid essentiale; quod directe opponitur legi et Religioni naturali, cui, quia a Deo est, nulla alia divina lex opponi potest. Hisce adde, quod si recte quisque legem naturalem servat; presto illi erit cum sua gratia misericors Deus. Sed haec suo loco. Nullimode ergo ex adductis objectionibus deduci potest necessitas indifferentismi.

70. *Dices.* Si penitus indifferentismus esset proscribendus, quoniam de maximo negotio agitur aeternae salutis, in hypothesi, quod patria Religio sit falsa, et subditi rebellare deberent contra principem, qui illam vellet retinere; et princeps omni vi subditos deberet cogere ad illam deserendam, aut saltem illos e patria deberet expellere. Sed utrumque

maxima mala induceret, nempe bella, seditiones etc, quae sunt contra naturae legem, hoc est contra Dei voluntatem. Ergo ab omnibus tetenda potius est patria Religio, et propterea necessarius est indifferentismus.

℞, Vera Religio nullum ex enumeratis malis docet, aut praecipit; quinimo vetat omnino: docet enim, et praecipit pacem, charitatem, mansuetudinem, et obedientiam Itaque subditi debent esse fideles suo principi in omnibus, quae ad societatem pertinent: et tantum abest, ut ab obedientia, et fideli servitio liceat deficere, ut etiam in manifesta persecutione mortem potius debeant oppetere, quam rebellare, et arma sumere. Unde Christus apud Math. cap. V. v. 44. suis praecipit: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, et orate pro persequentibus, et calumniantibus vos.* Et ita certe se gesserunt sub immanissimis tyrannis plurimi Christiani priorum saeculorum, qui in cruciatibus et morte ipsa Deum rogabant pro occisoribus. Et sic pariter principes exemplo potius, quam vi, et persecutione uti debent erga subditos, omni charitate, et paterno zelo curantes, ut veritatem doceantur, et alliciantur ad amplectendam. Et hoc in casu nedum licitam, sed et quandoque necessariam dicimus tolerantiam Civilem; ast nunquam Theologicam.

PROPOSITIO VIII.

Lex et Religio naturalis non sufficit, ut Deus principem finem, quem habuit in Mundi creatione, manifestationem scilicet suae gloriae, assequatur.

71. *Prob.* Manifestatio divinae gloriae unice pendet a digno Religionis cultu, quem homines Deo praestare debent, et cujus duae sunt partes, theorica scilicet, et pratica: illa posita est in cogitatione divinarum perfectionum, si non adaequata, id quod absolute repugnat humano intellectui li-

mitibus circumscripto, tamen non dedecens esse debet, neque indigna, ita ut si non coguoscamus perfecte Dei naturam, et Majestatem, ei tamen non tribuamus, quod imperfectum est, et injuriosum. Altera, sive pratica, absolvitur dirigendo amorem nostrum, et nostras actiones erga Deum, juxta partem theoricam, seu non indignam opinionem, quam de illo habemus. Sed naturalis lex (et Religio naturalis 44) ad haec non sufficit. Et re quidem vera sola lege, et Religione naturali vix uniformiter videmus principia universaliora, abstracta, et theorica, ex quibus varias imo et saepe oppositas, quisque ducit consequentias, non solum pro variis intellectus viribus, sed pro variis etiam, et oppositis circumstantiis, maxime educatione, et consuetudine, quo varii quoque, et oppositi necessario habentur theorici cultus, et consequenter etiam pratici (§. 61 in ℞.). Sed essentialis cultus diversitas, idest indifferentismus, Deo non placet, et penitus est proscribendus (§. 57). Ergo etc.

72. Idipsum invictissime confirmatur ab experientia. Quo enim, quantaque absurda inhumana prorsus, et horrenda, undique, in omni tempore, in quavis vel culta natione, et ab ipsis quoque magni nominis philosophis, non tradita, et exercita sunt in materia Religionis? Pluralitas Deorum universaliter celebrata contra evidentiam rationis: in Deorum album nedum viri, et scelestissimi quidem, recensiti, sed et mulieres quoque impudentissimae: licita fornicatio, stuprum incestuosum, et mutuum consortium conjugum sunt doctrina religiosi cultus erga Deos illorum, qui sola duce ratione incedebant, et incedunt. Quod si theoricam partem necessario sequitur pratica, quis non horrescit audiens, parentes in senectute, quasi pro pietate, interfici a filiis, victimas humanas pro sacrificiis expiationis oblatas, et nunc etiam offerri apud crudeles Indos, scelesta prorsus, et nefanda solemniter celebrata in diebus festis Bacchi, Veneris, Adonidis, et aliorum? Erunt ne hujusmodi absurda, nefanda, et hor-

renda apta, et sufficientia, ut principem suum finem Deus assequatur, cur ex nihilo mundum creavit, manifestationem scilicet suae gloriae? Concludendum igitur, quod lex et religio naturalis etc.

PROPOSITIO IX.

Sola lex, et consequenter Religio naturalis, seclusis aliis mediis, non bene respondet alteri Dei fini, communicationi scilicet suae bonitatis.

73. *Prob.* Lex, et proinde Religio naturalis, licet sit vera lex, et quidem a Deo (§. 35); et licet praemio, et poena sit sancita (§. 40, et seq.), praemium tamen istud, et poena non sunt in ratione directa, sed potius inversa recte, vel perperam factorum (§. 43). Ergo sola, exclusis aliis mediis, non bene respondet alteri Dei fini, communicationi scilicet suae bonitatis. Et requidem vera, si aliquis legislator sic ageret, ut ratione non directa, sed inversa, suos subditos poena, vel praemio afficeret, et nullam ulteriorem retributionem sibi reservaret, is profecto injustitia, aut saltem non vera justitia, merito argueretur. Sed dari non potest vera bonitas, sine vera justitia, quia nulla datur vera virtus, ubi alia item vera virtus destruitur. Ergo si per solam legem naturalem, uti observatum est, non habetur vera, et perfecta Dei justitia, quia poena et praemium sunt in ratione inversa, dicendum, quod per legem naturalem, et proinde per Religionem naturalem, exclusis aliis mediis, Deus non recte assequitur alterum finem, quem sibi proposuit in mundi creatione, communicationem scilicet suae bonitatis (1).

(1) Cum de Deo loquentes tempore praeterito, aut etiam futuro, utimur, dicentes *finem, quem sibi proposuit, poena, aut praemium, quod retribuet* etc. cave ne credas, rem ita se ha-

74. Nec valet dicere, quod naturali ratione, et praesertim ex quo poena, et praemium in hac mortali vita non sunt in ratione directa meritorum, evincitur altera futura vita, in qua perfectissime compensantur omnia; quapropter cum per lumen naturale rationis, sive per legem naturalem habemus perfectam sanctionem Divinae legis naturalis, inde in nihilo laeditur divina justitia, et consequenter bonitas, quae prae caeteris donis naturalibus, libertate nos donavit, qua veluti digni fiemus aeternis praemiis, et gaudiis.

75. Non valet, inquam, assertio isthaec. Et primo quidem, quia naturalibus intellectus viribus relicti homines, non omnes agnoscunt alteram futuram vitam, ut constat ex historia gentium, quae sola duce humana ratione vitam duxerunt. Secundo, quia illi pauci, qui alteram futuram vitam agnoverunt, aut perridiculis, aut obscaenis voluptatibus refertam existimarunt, ut notum est de Elysiis Gentium, et de Para-

---

bere ex parte Dei. Deus enim, ut suo loco videbimus, aeternus est, et aeternitas definitur per interminabilis vitae totam simul, et perfectam possessionem. Ergo omnino incapax est praeteriti et futuri, sed omnia illi sunt in actu, ex quo purissimus actus dicitur. Item perfectissimus ipse est; ergo omnia simul possidet: et idcirco omnino eidem repugnat successio, sive transitus ex uno in alium statum, quia intrinsece pugnat, ut amittat aliquid, et aliud de novo acquirat. Itaque idem semper est Deus, eadem semper cogitat, eadem vult et jubet, et eadem semper facit. Ergo cum praeteritum, aut futurum Deo tribuimus, humano modo loquimur, et prout res sunt ex parte nostri. Quinimo sicut essentialiter convenit Deo aeternitas, et repugnat successio, sive tempus, ita contra repugnat nobis vera aeternitas, et essentialiter convenit tempus. Essentialiter enim brevibus limitibus sumus circumscripti; et propterea nequit fieri, ut omnia simul habeamus, sed aliqua semper amittimus, et alia acquirimus: hoc est, in perenni successione sumus, quod idem est ac dicere, essentialiter sumus in tempore.

diso Turcarum. Ergo aliud medium est necessarium, revelatio scilicet, ut mox videbimus, quo alteram futuram vitam cuncti ut certo agnoscant, et illam quidem vere dignam tam Dei tribuentis, quam hominum, qui suis virtutibus fieri meruerunt objectum Divinae bonitatis.

76. Sed rusus. In hypothesi, quod a rectitudine deficiantur homines, quomodo per solam legem naturalem in viam salutis redire poterunt? Procul dubio, ut in Psycologia demonstratum est, ubi animae inmortalitatem ab objectis vindicavimus, malitia humanarum actionum metitur a dignitate objecti, contra quod injuria exercetur; quinimo est in ratione directa dignitatis objecti, et inversa subjecti. Ergo si infinitae majestatis est Deus, qui fieri poterit, ut naturalibus mediis destruatur infinita malitia hominum delinquentium? Nulla, nulla amplius erit spes salutis. Sed experientia docet, quod nullus est, qui aliquando non offendat: Ergo nullus erit, cui Deus suam bonitatem participare poterit. Aliud itaque, aliud medium supra actualem naturae ordinem, necessarium dicendum est, ut sic infinita Dei bonitas resplendeat erga nos, qui fuit alter Dei finis, quem sibi proposuit in mundi creatione. Concludendum igitur etc.

CAPUT IV.

Num lex, et proinde Religio naturalis homini sufficiat ad assequendum finem, cui a Deo destinatus est.

77. Ante omnia in hoc capite videndum est, num hominis finis, cui Deus illum destinavit, sit tantummodo naturalis, terrena scilicet felicitas; an vero supernaturalis etiam, hoc est felicitas aeterna. Qui hunc alterum finem negant, sunt Epicurei, Naturalistae, et Deistae. Epicurei nullam aliam vitam, praeter hanc terrenam, agnoscunt, et propterea nullam post mortem felicitatem expectant: et Naturalistae ac Deistae solis na-

turae viribus, seclusa omni revelatione; Deum colendum esse tuentur, ex quo fit, ut supernaturalis ordinis effectum, hoc est gloriam coelestem vel aperte, vel tacite saltem negant. Contra istos omnes nunc insurgamus oportet.

78. Sed prius notandum quod nullum verbum facimus de principi Dei fine, qui est manifestatio suae gloriae ex parte hominis, propterea quod ex demonstratis (§. 71. 72) jam patet, illum adimpleri non posse per solam naturalem Religionem, Itaque sermo erit tantum de secundo, scilicet de participatione divinae bonitatis, sive de vera nostra felicitate, quia alia, et quidem multa videntur addenda illis, quae (§. 73, et sequentibus) brevissime demostrata sunt. Itaque sit

PROPOSITIO I.

Praeter ordinem, et finem naturalem, alter ordo, et finis supernaturalis agnoscendus est, cui homines sunt a Deo destinati.

79. *Prob.* Homo procul dubio est, et dici debet caput omnium sensibilium operum, quae in hoc mundo a Deo creata conspiciuntur. Si ergo Deus hunc mundum ex nihilo excitavit ea praesertim ratione, ut suas manifestaret perfectiones, ut accidentalem gloriam acquireret, hoc dici potest, et est reipsa medium, per quod Omnipotens statuit suum finem assequi in hujus mundi creatione. Propterea enim illum intelligentia domavit, ut ipsius opera contemplans admiraretur simul potentiam, et sapientiam, et sic laudaret Majestatem, et Religionis cultu quasi dignas ageret gratias. Insuper auxit illum inaestimabili dono libertatis, ut sic sponte, non necessitate coactus, suo muneri posset satisfacere. Quid inde? Capax idcirco factus est homo et praemii simul, et poenae pro meritis: et ejusmodi quidem praemii, et poenae, quae non ratione directa, sed inversa prorsus retribuuntur in hac vita

mortali (43) ; ex quo praesertim certo concludimus alteram futuram vitam pro completa retributione, ut absolute postulat rectissima Dei justitia (ibidem). Sed quid libertas ista, quid altera vita, quae, illam necessario sequitur? Nunquid ista in naturali, sive cosmico ordine includere fas erit? Aut contra dicemus, ipsa sine ordine dirigi? Falsum illud, quia naturales cosmicae leges fixae, et determinatae sunt, et nonnisi per miracula a Deo suspendi possunt, et respiciunt ea solum, quae fiunt in hoc mundo: et homo ex se libere ad agendum determinatur, et extra physicum hunc mundum altera fruiturus est vita, cujus naturam, et rationem haec determinat vita mortalis: et absurdum, absurdissimum est aliud quia nequidem concipi potest, ut desit ordo in sapientissimi Dei operibus. Alter itaque ordo in homine agnoscendus est pro suis liberis, et moralibus actionibus, qui cum inducat alteram vitam, praeter hanc naturalem, alterum quoque evincit finem, quem quia non naturalem, et terrenum, sed coelestem, et aeternam respicit felicitatem, supernaturalem appellamus. Verum quid inde? Sequens aperit

PROPOSITIO XI.

Lex, et consequenter Religio naturalis homini non sufficit ad completum finem assequendum, cui Deus illum destinavit.

80. *Prob.* 1. Finis completus hominis est supernaturalis, scilicet coelestis gloria, altera futura vita beata. Sed ad ipsum assequendum finem non sufficit lex et Religio naturalis. Ergo etc. *Prob. min.* Non potest homo supernaturalem finem assequi, gloriam scilicet coelestem, nisi suis operibus efficiat, ut Deus utrumque suum finem obtineat, manifestationem nimirum suae gloriae, et communicationem suae bonitatis. Sed lex et Religio naturalis ad neutrum sufficit, ut demonstratum est (71 72 et 73): Ergo etc.

81. *Prob. secundo.* Procul dubio non possidebunt homines quasi pro praemio, et mercede Regnum coelorum, nisi constanter in hac vita suis operibus, maxime Religionis cultu, Deo placeant. Sed ipsi naturalibus suis viribus relicti in turpissimos errores decidunt, et quidem quoad partem theoreticam, et quoad praticam (71. 72); et nusquam etiam inter se conveniunt in deducendis consequentiis ex principiis universalioribus et communibus, maxime quoad praxim (ut in solutione objectionis 70), cum tamen indifferentismus sit penitus proscribendus (57), Ergo etc.

82. Rursus. Homo naturalibus viribus nedum nescit, sed nequidem sibi fingere potest, quae sit natura coelestium donorum, in quo resposita sit aeterna beata gloria. Etenim si in hac vita mortali per organa sensoria tantum ideas singulares efformamus, et ab illis ope abstractionis ideas abstractas, et universales, et ea quidem lege, ut si sensus aliquis desit nullam omnino ideam nec singularem nec universalem concipere possimus, quae ad illam classem pertinet; profecto anima separata a corpore ipsa vel immediate, vel modo omnino diverso res cognoscet. Quomodo ergo naturalibus viribus cognoscere nunc poterimus naturam illarum rerum, vel saltem fingere in quo reposita sit nostra gloria, et beatitudo? Igitur absolute necesse est, ut supernaturaliter, ope scilicet revelationis doceamur, praesertim modum, et media, quibus talem finem assequi possimus.

83. *Tandem.* Si supernaturalis ordo, cui praeter naturalem subjectus est homo (79), deturbatur, procul dubio tamdiu homo a suo fine aberrabit, quamdiu ordo deturbatus manebit. Sed deturbatio isthaec dicit malitiam infinitam in homine deturbante, quia injuriam affert Deo infinitae majestatis; et satisfactio debet esse proportionata injuriae allatae. Ergo nullatenus fieri poterit, ut ab homine deturbatus ordo remittatur, quoniam naturalibus viribus nequit ipse opportunum medium nec ponere, nec excogitare. Sed naturaliter loquendo,

juxta actualem statum, et conditionem hominum, nullus est, qui aliquando non offendat. Ergo nullus assequetur ultimum finem, nullus donabitur aeterna gloria, nusquam locum habebit infinita Dei bonitas; sed undique justitiae rigor, undique supplicia, et mors sempiterna. Sed abhorrent aures isthaec audire. Ergo dicendum, quod Deus, qui hominem creavit, ut suam illi communicaret bonitatem; qui hominem destinavit ad finem, et ordinem supernaturalem, ut objectum redderet suae infinitae charitatis, supernaturaliter quoque nedum necessaria docuit ad talem sublimem ordinem, sed media etiam sufficientia, et opportuna praebuit, quibus in viam salutis, si aberraret, posset redire. Et propterea concludendum, quod sola lex, et consequenter Religio naturalis etc.

CAPUT V.

De necessitate Doctrinae revelatae.

84. Ex iis, quae hactenus exposita, et demonstrata sunt, quasi ad evidentiam patet praeter doctrinam naturalem, quae nimirum solis naturalibus intellectus viribus studio, et labore comparatur, aliam quoque nobis necessariam esse immediate a Deo traditam; sive id fiat vivissima interna inspiratione, sive quacumque externa apparitione, sive etiam voce vel de Coelo missa, vel prolata ab aliquibus perfectioribus creaturis, quas Angelos appellamus; sive quovis alio modo, dummodo tamen ejusmodi signa, et circumstantiae concurrant, quae nos certos omnino reddant nec effectum esse phantasiae nimis commotae, nec imposturam callidorum hominum. Sed tamen ut omnia momenta veluti in unum concurrant pro re tanti momenti, eamdem veritatem clarius aperimus, et demostramus. Sit itaque.

PROPOSITIO XII.

Habito respectu ad statum, in quo homo nunc est, et ad Dei finem, cur hominem creavit, invictissime contra Naturalistas tuemur, absolute nobis necessariam esse Divinam Revelationem.

85. *Prob.* Deus non casu, sed sapientia et consilio, et fine sui digno mundum ex nihilo creavit (§. 7). Et hujusmodi finis, qui nullatenus frustrari potest, quoniam sapientissimus est Deus, et Omnipotens, ut opportuna media cognoscat, et adhibeat, est manifestatio suae gloriae, et communicatio suae bonitatis (§. 12 13). Item, quia Deus verum, et summum jus habet super homines imperandi, et revera suo jure vult uti (35. 36); idcirco revera existit lex divina naturalis. Et quoniam tria tantummodo lex ista divina naturalis praecipit, summum scilicet obsequium erga Deum, quod communiter dicitur Religionis cultus, verum studium nostrae perfectionis, et justitiae, beneficentiaeque actus erga proximum: et quia vera ratio Religionis resposita est in plena, et perfecta obedientia Dei voluntati, ideo *prop.* quinta demonstratum est (§. 44), quod lex, et Religio naturalis dici possunt unum et idem. Sed lex ista, et inde Religio naturalis, etsi a Deo, insufficiens tamen est ad utrumque Dei finem assequendum (prop. 8, et 9 §. 71. 73); maxime, quia secus admitti deberet indifferentismus, qui penitus est proscribendus (prop. 7, §. 57). Ergo si omnino repugnat frustrari Dei finem, et si frustraretur utique per solam legem, et Religionem naturalem, dicendum, quod habito respectu ad statum, in quo homo nunc est, et ad finem, cur Deus hominem creavit, absolute necessarium sit aliud medium, auxilium aliud, scilicet Divina Revelatio.

86. Nec minor necessitas evincitur ex parte hominis. Etenim praeter ordinem, et finem naturalem, terrenam scilicet

felicitatem, ad alium finem supernaturalem homo destinatus est a Deo (prop. 10. §. 79). Sed lex, et inde Religio naturalis omnino insufficiens est, ut hujusmodi supernaturalem finem homo assequatur (prop. xi. §. 80, 81. 82. 83). Ergo habito respectu ad statum, in quo homo nunc est, et ad finem, cui destinatus est, absolute illi necessaria est Divina Revelatio.

Solvuntur objectiones.

87. *Ob.* Stultum, et impium est cogitare, aliquid deesse Dei operibus pro eo statu, ad quem illa Deus ordinavit. Sed ordinavit hominem, ut esset pars, etsi quoque forsan nobilior hujus visibilis mundi. Ergo omnia habet homo, quae necessaria, et sufficientia sunt ad suum munus exercendum; et propterea sufficit ei donum intellectus, ex quo habetur lex, et Religio naturalis, nec alia praeterea indiget doctrina.

℟. *Disti. min.* Ordinavit Deus hominem, ut esset pars hujus mundi adspectabilis, et simul ut pars esset alterius ordinis supernaturalis, et particeps alterius vitae beatae, *conc. min.*; secus *nego min. et cons.* Ex quo homo caput est totius mundani operis, qninimo medium per quod statuit Deus suum assequi finem, manifestationem scilicet suae gloriae, et communicationem suae bonitatis; nedum intelligentia ipse donatus est, qua Dei cognosceret perfectiones, non quidem adaequate, sed quomodo convenit creaturis necessario finitis; sed etiam inaestimabili dono libertatis, quo, veluti pro mercede, dignus fieret gloria aeterna; sicut contra, reus poena infinita, pro laesa infinita Dei Majestate, si suo muneri non faceret satis. Inde sequitur (ut prop. x. §. 79 fusius demonstratum est), ut duplex ordo et finis in homine agnoscendus sit, naturalis scilicet, et supernaturalis; et propterea duplex quoque genus doctrinae; naturalis, et supernaturalis, ut sic duplici ordini, et fini respondere possit. Et quidem, quod

solo naturali lumine homo non possit id efficere jam pluribus, et validis argumentis, demonstratum est in prop. xi. maxime in §. 83. *Si supernaturalis ordo etc.*

88. *Contra.* Atqui licet concedatur, quod duplex ordo, et finis agnoscendus sit in homine, illi tamen nullatenus necessaria est doctrina revelata. Ergo etc. *Prob. sub.* Profecto naturalis doctrina sufficit pro naturali statu hominis. Sed si sufficit pro naturali statu, sufficere quoque debet pro quocumque alio, quovis nomine placet appellare. Ergo etc. *Prob. min.* Alter ordo, et alter finis, quovis nomine placet appellare, est veluti consequentia, et effectus hujus praesentis ordinis naturalis, quoniam ipse erit juxta conformitatem, aut difformitatem, nostrarum operationum dictamini rectae rationis, scilicet ordini naturali. Sed quae sufficiunt pro causa, sufficiunt quoque pro illius effectibus. Ergo si naturalis doctrina sufficit pro statu, et ordine naturali, sufficere quoque debet pro alio, quem supernaturalem placet appellare.

℟. *Dist. maj.* Alter ordo, et finis supernaturalis est veluti consequentia, et effectus hujus ordinis naturalis, hoc est non potest haberi, quin habeatur ordo, et finis naturalis, *conc.*; est idem cum illo, *nego maj.* Sed quae sufficiunt pro causa, sufficiunt quoque pro effectibus, *dist.* etiam *min.* Quae sufficiunt pro causa completa, sufficiunt quoque pro effectibus, *conc.* quae sufficiunt pro causa incompleta, sufficiunt quoque pro effectibus, *nego min. et cons.* Itaque ordo supernaturalis non agnoscit pro vera sui causa ordinem naturalem, bene vero voluntatem Dei, qui duplici ordini, et fini destinavit hominem, naturali scilicet, et supernaturali. Illum assequimur cum solo lumine naturali, cum nimirum solo intellectu ratione, et libertate praedito ita nostras actiones, et mores componimus, ut terrenam felicitatem assequi possimus; supernaturalem vero obtinemus si dignum Religionis cultum Deo praestamus. Sed ut non semel demonstratum est, ad id non sufficit naturalis intellectus suis relictus viribus, sed requiritur quoque, ut a

Deo ipso doceamur. Ergo ordo supernaturalis pendet ab ordine naturali simul, et doctrina revelata. Et inde patet, quod licet haberi non possit, quin prius habeatur ordo et finis naturalis, nisi scilicet nostrae actiones conformes sint cum dictamine rectae rationis, tamen utrumque confundere, idem est ac confundere partem cum toto.

89. Quod autem revera detur alter ordo, et finis supernaturalis, jam superius demostratum est; et naturali ratione evidenter evincitur, quod ipsi necessaria sit doctrina revelata. Etenim lumine rectae rationis cognoscimus, quod dum debemus praestare Deo cultum Religionis, dignum tamen praestare non possumus nec quod partem theoricam, nec quoad practicam, quoniam etsi conveniat inter homines de principiis universalioribus, abstractis, et theoricis; tamen ob diversam vim intelligendi, et ratiocinandi nullimode convenit de veritatibus peculiaribus, et practicis, in quibus proprie Religionis cultus consistit. Et id confirmatur ex quo incredibilia prorsus, repugnantia, et horrenda nationes omnes, et ipsi magni nominis philosophi opinati sunt de divinitate, et moribus exercuerunt (prop. VIII. § 71 72). Cum ergo ratio ipsa evidenter cognoscat, se sufficientem non esse ad dignum Religionis cultum Deo praestandum, et consequenter subliniore lumine hominem indigere, ut suo muneri satisfaciat, et suum finem assequatur, quem propterea duplicem cognoscit; recte inde dicimus, quod altera vita, idest assecutio finis ultimi et supernaturalis, erit juxta usum rectae rationis: verum non agnoscens pro sui causa ordinem naturalem, sed supernaturalem, quem ipsa recta ratio ex sui ipsius imbecillitate existentem cognoscit, et pro quo necessaria quoque agnoscit media supernaturalia, scilicet doctrinam revelatam.

90. *C.* Atqui naturalis doctrina in homine sufficit per omni statu, et pro completo sui fine. Ergo etc. *Prob.* Si non sufficeret, Deus utique in ipso ordine naturali, et sine revelatione, usque ad sufficientiam augere potuisset humanam

intelligentiam, ita ut naturaliter homo cognosceret quae per vos nunc cognoscit cum doctrina revelata; et debuisset quidem, quia frustra fiunt per plura, quae fieri possunt per pauciora. Sed non fecit. Ergo dicendum etc.

℟. Si non sufficeret, Deus utique in ipso ordine etc. *conc. maj.* in sensu explicando. Sed non fecit, transeat *min.* Ergo etc. *neg. cons.* Procul dubitatione potuit Deus ab initio creationis (1) ita humanum intellectum elevare, ut sine novo subsidio videre potuisset, quao nunc per revelationem de ultimo suo fine coguoscit. Quippe si capax nunc homo est et naturalium, et revelatarum cognitionum, quae repugnantia, ut ita illum ab initio Deus creaverit? Sed nostra quaestio est de facto, non vero de eo, quod fieri potuerit. De facto enim homo, ut nunc est, non potest naturalibus vicibus dignum Religionis cultum Deo praestare, ut jam supra demonstratum est; et propterea non potest assequi suum ultimum finem, gloriam scilicet coelestem. Nec similiter alter Dei finis, idest communicatio suae bonitatis, excluso supernaturali auxilio, poterit umquam habere locum, quia in statu, in quo sumus, nullus est, qui aliquando non offendat, et nullus tamen suis viribus remittere potest deturbatum ordinem moralem, propter malitiam infinitam, qua reus fit homo in Deum delinquens. Sed quaeres fortasse, cur Deus ab initio omni sufficienti scientia, pro quocumque statu, capacem non creavit humanum intellectum? Primo dico, quod modo agitur de actuali statu intellectus, non vero de illo, in quo esse potuerit, aut forsan quoque fuerit (2); quapropter sufficiet pro veritata nostrae thesis, et pro asserenda necessitate Doctrinae revelatae, quod hujusmodi sufficienti scientia in actuali statu capax non est hu-

(1). Notandum semper, qnod humano modo loquimur; Etenim respectu Dei omnia ipsi sunt in actu.

(2) Non adhuc fas est pro certo asserere, hominem culpa progenitoris Adae decidisse a primo statu, in quo creatus fuit.

manus intellectus. Secunda dico, quod simul cum doctrina revelata, requiritur etiam auxilium, et remedium supernaturale, quo remitti possit ordo moralis, qui utique turbari potest propter donum libertatis, et deturbatur revera ab unoquoque nostrum, ut experientia nos costanter docet. Tandem dico, quod inde potius irrefragabile argumentum eruitur ad tuto asserendum (nondum licet uti argumentis Theologicis) quod ab initio non fuit sic; sed omni sufficienti scientia donatus fuit homo, et quod aliqua sui culpa in hunc cecidit miserum statum, in quo doctrina, et auxilio simul supernaturali necessario indiget.

91. *Ob. secundo.* Si doctrina revelata vere necessaria esset homini in statu, in quo est, Deus, qui non deficit in necessariis, ab initio hujusmodi status illam hominibus dedisset. Sed non dedit. Ergo necessaria non est, sed sufficiunt pro nostro munere obeundo naturales nostri intellectus vires. *Prob. min.* Nulla ex Religionibus, quae existunt, quaeque revelatione gloriantur, fuit ab initio mundi, et excepta illa Paganorum, vel ipsa Religio Hebraeorum, ex qua postea orta est nostra Christianorum, et inde illa Mahumetanorum, suae revelationis originem ducit a Moyse. Er go Revelatio non ab initio facta est hominibus.

℟. *neg. ant.* Falso prorsus objicitur, doctrinam revelatam incepisse a Moyse. Quippe sua Deus infinita misericordia usus illam ab initio dedit Adamo, scilicet primo homini, ex quo diffunderetur in omnes posteros. Sed cum quasi obliterata fuisset a nationibus, et quasi omnino corrupta etiam aqud Israelitas, propter tot annorum consuetudinem cum Ægyptiis, placuit Deo illam per Moysen renovare, maximo qnidem apparatu caerimoniarum, et Ministrorum, sed in re eadem omnino erat, qnam quae data fuerat al initio. Et quidem (Pentateucho utuntur Naturalistae in objiciendo, Pentateucho utimur et nos respondendo) nonne Israelitae ante exitum ex Ægypto suum peculiarem habebant Religionis cultum oppositum

illi Ægyptiorum? Num itaque dubitare fas est de illorum doctrina revelata? Quomodo aliter dici potuisset populus electus inter omnes gentes, et solus cultor veri Dei? Num revelata doctrina dicemus destitutos tot Patriarchas, Josephum, Jacobum, qui etiam humanam Redemptionem praedixit in benedictione Judae, Isaacum, et praesertim Abraham, cui in Pentateucho dicitur Deus per Angelum fuisse locutus? Quinimo, admissa historia Pentateuchi, nec de gente antediluviana dubitare poterimus, quin ipsa revelatam doctrinam habuerit. Corruptam legimus omnem carnem, et quod propterea poenituit Deum fecisse hominem, qui et decrevit aquis diluvii delere humanum genus a facie terrae. Inde praecepit Noe, ut conderet arcam, cujus formam et magnitudinem ipse idem descripsit. Ergo Noe, cui Deus locutus est, non caruit doctrina revelata. Sed nec de ipso Adamo dubitari potest, quoties standum est Pentateucho. Et quidem, nonne Deus locutus est Adae, et cum eo rationem posuit de non servato praecepto? Nonne, cum serpentem maledixit, spem dedit homini suae futurae salutis? Quod si non quadrat Pentateuchus cum mente Naturalistarum, tunc dicendum, quod nihil constat de somniato initio Divinae Revelationis a tempore Moysis: et propterea firma manet nostra Thesis, quoniam recte fuit demonstrata.

92. *C.* Atqui non ab initio facta fuit homini Divina Revelatio. Ergo etc. *Prob.* Si per Moysen renovata tantum fuisset Doctrina revelata, quia quasi obliterata fuerat propter longam consuetudinem Hebraeorum cum Ægyptiis, potiori ratione renovari debuisset gentibus, quae illam prorsus oblitae fuerunt, Deus enim aeque omnium est amantissimus, et providentissimus *Pater*. Sed non renovavit gentibus. Ergo nec et Hebraeis, et propterea revelatio ab initio non fuit hominibus, sed falso quidem facta asseritur Moysi.

℟. *neg. illationem majoris.* Ex quo sola naturali ratione, ut evidenter demonstratum est, nequit Deus duplicem suum

finem assequi, cur creavit hominem, quem finem caeteroquin fieri non potest, ut non assequatur, quia sapientissimus, et omnipotens est, ut inveniat, et ponat media opportuna; recte inde concludimus necessitatem, et consequenter existentiam quoque doctrinae divinitus revelatae. Sed creavit ne Deus hominem in ista necessitate doctrinae revelatae? Nobis non videtur ita fieri potuisse, quia non decet divinam sapientiam facere per plura, quae fieri possunt per pauciora. Si haec eadem est opinio et sententia Naturalistarum, nobiscum etiam conveniant necesse est, quod a suo naturali, statu essentialiter degeneravit homo, et quidem gravi sui culpa abutens dono libertatis. Sed gravis culpa in Deum dicit malitiam infinitam. Ergo Deus vel perdere debuisset hominem in sempiternum, utens sua justitia; vel illum objectum facere suae infinitae misericordiae Maluit hoc; et propterea illico media opportuna dedit, scilicet doctrinam revelatam, qua non solum homo suum elevaret intellectum ad cognoscendas necessarias veritates, sed et remedia quoque haberet necessaria, et efficacia pro aeterna sua salute. Sed nunquid revelationem istam Deus repetere debebat cuique ex posteris Adae? Nec justitiae, nec misericordiae ratio id postulat. Etenim nimis sufficiens erat, ut idem auxilium, nempe revelatio, a parentibus in filios transmitteretur eodem modo, quo vulnus intellectus humani transmittitur. Sed hoc misericorditer faciens Deus libertate non orbavit hominem, nec orbare poterat, quin destrueret naturam illius et finem, cui destinaverat, ut scilicet suis liberis actionibus, quasi pro merito mercedem reciperet sempiternam. Ergo etiam sub hoc auxilio sua libertate abuti poterant Adae posteri, et sic viam apparenter latiorem illecebrarum sequi, et relinquere angustiorem salutis. Ita reipsa quasi omnes fecerunt, excepta parva natione Hebraeorum. Nunquid quasi singulatim omnibus Deus repetere debebat eamdem doctrinam revelatam, quam sua culpa homines amiserant?

Quod si quaeras cur renovavit Hebraeis tantum, et non omnibus? respondeo, quod minus indignos illos existimavit suae misericordiae, tum quia tanto tempore fideles se gesserant, tum quia non omnes deliquerant, tum etiam quia grave scandalum passi fuerant, ut delinquerent. Quod si aliter sentiunt Naturalistae, scilicet quod idem ac nunc est, fuit semper status hominis, nec unquam per sui culpam factus est deterior, tunc dicimus, quod ab initio Deus supplevit defectum ope Revelationis, quam, quia quasi obliterata fuerat, per Moysen restauravit.

93. *C.* Atqui ex quo Deus, ut dixisti, revelatam doctrinam per Moysen Hebreis renovavit, et non caeteris Nationibus, inde evincitur, illam homini necessariam non esse ad assequendum ultimum sui finem. Ergo etc. *Prob. sub.* Multo magis dignae erant Dei commiseratione caeterae Nationes, quam Hebraei: isti enim culpa, et malitia propria revelationem corruperant, dum illae prorsus amiserant culpa majorum. Sed per vos non Gentibus, sed Hebraeis restaurata fuit. Ergo dicendum quod homini necessaria non est ad salutem.

℟. *neg. mai.* Quis magis, quis minus dignus sit Dei commiseratione nec scimus, nec scire possumus, quia datum non est agnoscere gradus malitiae, qua metitur a multis occultis circumstantiis physicis, et moralibus. Exinde fit, ut nullum judicium certum formare possimus, utrum delinquentes Hebraei, an potius Pagani, magis digni fuerint Dei commiseratione in negotio Revelationis.

Secundo dico, quod si misericordiae, non vero justitiae fuit, ut dederit Deus Revelationem primo homini, qui sui culpa impotens factus fuerat ad suum finem assequendum, ut jam dictum est, eo magis misericordiae, et non justitiae erat, eamdem repetere Adae posteris, qui nova horribiliori sui culpa illam amiserant. Sed quis audebit legem praescribere gratiae et misericordiae? Deus itaque miseretur, cujus vult misereri, et suam gratiam impertitur cui, et quomodo

vult impertiri. Et quidem nonne ita factum videmus in donis naturalibus: Nunquid majora merita praecesserunt illos qui divites nascuntur, validi corporeis viribus, acriori ingenio praediti? Aut forsan jus habent ad querelam pauperes, infirmi, rudes etc. qui miseram vitam ducunt? Cum ergo nec Hebraei, nec Gentes jus aliquod habuerint ad novae Revelationis gratiam, Deus juxta liberrimam suam voluntatem, et imperscrutabilia sua judicia, illis potius, quam istis, fuit impertitus.

Quod si opinando solum fas erit nostram sententiam aperire, dicimus primo, quod certe non videtur conveniens, ut individuatim singulis hominibus Deus Revelatam doctrinam repeteret, sed ut simul omnibus per aliquem praeclarum virum, cui major fides a caeteris haberi potuisset, et hunc quidem alicujus praeclarioris Nationis in negotio Religionis. Sed vir iste justus, sanctus, et clarior prae omnibus fuit Moyses, et quidem ex praeclariori Natione, quae erat illa Hebraeorum. Merito ergo per Moysen ducem Hebraeorum Deus Revelatam Doctrinam hominibus restauravit, et renovavit. Secundo: Hebraei non omnes, sed aliqui dumtaxat ceperant deficere a doctrina revelata, et quidem pertaesi laborum itineris tot annorum; et qui omnino defecerant, utique illa recordabantur. Ergo restauratio isthaec erat veluti remedium praeservativum pro multis, et tutius, ac facilius proderat aliis ad resipiscendum. Caeterum non multum de hoc solliciti sumus, quia in nihilo infirmata remanent argumenta, quae a nobis exposita fuerunt pro demonstranda necessitate Divinae Revelationis.

94. Rursus instant Naturalistae. Non misericordiae, sed justitiae potius est, ut Deus cunctis Nationibus, ne dicam singulis hominibus, revelatam doctrinam repeteret, si revera illa homines indigent ad finem assequendum, cui ipse Deus illos destinavit. Ergo etc. *Prob.* Non ex misericordia, sed ex justitia tenetur conferre media necessaria ille, qui ab aliis

requirit, quod illi ex se solis omnino praestare non possunt. ed per vos Deus vult verificari finem, cui destinavit hominem, et hic finis nullimode haberi potest sine Doctrina revelata. Ergo non misericordiae etc.

℟. *Dist. maj.* Ex justitia, et non ex misericordia, tenetur pro prima vice tantum ministrare media necessaria, quae per se semper erunt sufficientia, ille, qui ab aliis requirit, quae illi ex se solis omnino non possunt, *conc. maj.* Tenetur ex justitia, et non ex misericordia, eadem media repetere quoties, qui acceperunt ex sui culpa amiserunt. *nego maj. Et conc. min. neg. cons.* Utique Deus, qui vult consequi finem, quem habuit in mundi creatione, ex justitia debuit conferre homini media necessaria, et sufficientia, quae tamen non laederent humanam libertatem, ita ut homo suo arbitrio potuisset uti, et abuti mediis istis, et sic efficere, ut etiam sub illis non verificaretur Dei finis. Et quoniam nequidem cogitare possumus, quod id non fecerit Deus; et aliunde, ut jam demonstratum est, in praesenti statu insufficiens est homo id efficere solis naturalibus viribus; ideo absolute concludebamus, quod ab initio non fuit sic: Sed certo libertate abusus fuit homo, et idcirco incapax factus est solis naturae viribus suum munus exercendi. Illius misertus est Deus (en ergo misericordia, et non amplius justitia), et in subsidium dedit revelatam doctrinam, ut mox videbimus. Crevit humana malitia, et abusus libertatis in Adae posteris, qui, ut liberius pravas sequerentur voluptates eo impietatis pervenerunt, ut etiam voluerint quasi prorsus oblivisci ipsius divini auxilii, doctrinae scilicet divinitus revelatae. Ergone in tanta malitia, et perversitate, ex justitia tenetur Deus Revelationem repetere, et ut contenditur singulis populis, ac etiam singulis hominibus? Misericordiae igitur et commiserationis vere infinitae, et propriae solius Dei, est revelatam doctrinam quocumque modo hominibus restaurare,

et cunctae Nationes perpetuas gratias Deo agere tenentur, quod revera per Moysen restauravit.

95. *C.* Atqui revera justitiae, non vero misericordiae erat, et nunc est, doctrinam revelatam cunctis populis singulatim repetere, si illa vere necessaria esset hominibus ad suum finem assequendum. Ergo etc. *Prob. min. subs.* Quacumque malitia. et culpa reos dicere volumus Majores, qui Divinam Revelationem aspernati fuerunt, et illius fuerunt obliti, certum tamen est, quod eadem non pervenit ad remotos posteros, et ad homines, qui nunc sunt in mundo, quapropter isti sine ulla sui culpa Revelatione carent, et sine sui culpa etiam non responderent fini, cui illos Deus destinavit, si Revelatio isthaec absolute esset necessaria. Sed id est contra veram justitiam. Ergo etc.

℟. *neg.* illationem Majori propositionis. Etsi concedatur, quod ex sola culpa Majorum revelata Doctrina non pervenerit ad remotos posteros, id tamen non ita verum est, ut nullimode illius notitia ad istorum aures pervenerit. Etenim quaevis natio, quantumvis barbara, suas tamen servat traditiones, ex quibus potest quisque licet non distincte, sufficienter tamen cognoscere statum Majorum respectu Religionis. Et quamvis concedatur, ut omnino deperdita sit hujusmodi traditio, nusquam, tamen dari potest, ut existat Natio tam expers omni commeatu cum aliis Nationibus, ut non audierit esse populos, qui modo omnino diverso colunt, et venerantur unum Deum, et Doctrina gloriantur ab ipso Deo revelata. Sed quod certum est, quisque solo lumine rationis cognoscit vera principia generaliora legis, et Religionis naturalis, quae scripta sunt in corde omnium, ex quibus utique cognoscere possunt, quod a Deo est lex, et Religio naturalis; quod eam quisque servare tenetur: et quod etiam a seipsis non servatur, quia ipsorum cultus est contra dictamen rectae rationis, maxime quia plures Deos credunt, et venerantur. Ergo quisque illorum, si vult, videt quod sibi

necesse est quaerere, et duceri veram Religionem. Quod si non faciunt, id evenit, quia commodam agnoscentes suis voluptatibus falsam Religionem, quam sectantur, timent ne aliam rigidiorem inveniant. Ergo non sine sui culpa carent Revelatione. Paucis verbis. Isti omnes, si viverent secundum dictamen rectae rationis, id quod possunt, et debent, utique cognoscerent errorem, in quo sunt, et possent deponere. Quod si revera adeo tardiori ingenio aliquis reperiatur, ut id non possit, dicimus quod utique omnia supplebit misericors Deus, occasionem illi praebens cognoscendi, et amplectendi necessaria media ad salutem. Sed semper tamen ex misericordia, non ex justitia Deus ita operatur.

96. Sed adhuc instant Naturalistae. Ex hucusque dictis homo, praeter ordinem et finem naturalem, a Deo destinatus est ad finem quoque, et ordinem supernaturalem, ad dignum scilicet Religionis cultum ipsi praestandum, ut sic post hanc mortalem vitam frui posset gloria sempiterna. Dubitari non potest, quin ad id homo idoneus creatus fuerit a Deo, alioquin, quod ne quidem possumus cogitare, Deus voluisset finem, quin dederit media. Sed in praesenti statu homo est incapax ad hunc supernaturalem ordinem, et finem; ergo inde inferebatur, quod sui culpa incapax factus est; et item quod absolute indiget novo auxilio a Deo, divina scilicet Revelatione. Ex Dei misericordia, non vero justitia, et recte quidem, revelatio isthaec jàm facta fuit Adae, qui sui culpa factus fuerat impotens, ut per ipsum ad posteros diffunderetur. Ex culpa majorum haec ipsa revelatio non pervenit ad multos posteros, et propterea hi sine sui culpa incapaces inveniuntur, ut alteri Dei fini respondeant, et necessario propterea sine ulla culpa reprobantur. Quae justitia erit ista? Adam delinquens, per misericordiam auxilia accepit ad salutem: Majores item eadem auxilia acceperunt; et interim actuales homines, qui in nihilo peccarunt, necessario pereunt

pro defectu necessariorum mediorum! Quid ergo dicemus? Numquid iniustus Deus, aut justus innocentes damnabit?

R' Cum sermo erit de gratia, et praedestinatione, tunc adaequate his objectionibus respondebitur. Nunc sola natura ratione incedentes, dicimus, quod omnia, quae homo habet, et habere potest sive ad naturalem sive ad supernaturalem ordinem pertineant, non ex justitia, sed ex misericordia, et beneficentia a Deo habet: quocirca omnibus, vel ali quibus, spoliari potest ab ipso Deo, quin vel minimum laedatur ratio justitiae. Ex sola beneficentia ex nihilo omnia mundana entia Deus condidit, ei naturalem ordinem illi proposuit. Et cunctae creaturae propterea de sui existentia Deo sunt debitrices.

97. Placuit Deo ipsi majorem effundere bonitatem, et sic creavit hominem intelligentia, et libertate praeditum, qui alio subesset ordine, in quo juxta usum ejusdem libertatis, vel praemium vel poenam reciperet in aeternum; et media procul dubitatione necessaria, et opportuna simul homini largitus fuit, ut suo muneri satisfacere posset; quoniam fieri nequit, ut desit Deus in necessariis. Libertate abusus est homo, et sic impotens factus est, ut ordinis supernaturalis assequi posset finem. Quid inde ergo? Profecto qui causa fuit tanti mali, nedum jus amisit ad gloriam, sed reus etiam factus fuit poenae aeternae pro sacrilega sua inobedientia. Sed quid de posteris? Corrupta est humanitas, et insufficiens facta est, sicut observavimus, ut solis naturalibus viribus debitum religionis cultum Deo tribuat, et supernaturalem finem assequatur.

Nec tamen jus ullum habent homines ad querelam, nec ad expectanda nova auxilia. Quinimo semper Deo debitores sunt de maximo dono existentiae, et de ordine naturali. Verum quia non sui culpa in hunc deciderunt statum, ideo negative tantum, non vero positive, damnabuntur, ni tamen alia ratione positivam quoque damnationem mereantur.

98. Et quidem: licet homo in praesenti statu sit incapax naturalibus viribus dignum religionis cultum Deo praestandi,

ipse tamen libero gaudet arbitrio, et tenetur naturalem legem servare. Sed ipsa quia vera lex, ut demonstravimus, suam habet sanctionem, ideo homines, qui doctrina revelata sunt destituti, si contra naturalem legem defecerint, quia ipsa universalis est, et nota omnibus, idcirco non solam negativam, sed positivam quoque damnationem incurrent.

99. Et haec cum vera sint, nullus quaerendi habet jus, sive coelestia auxilia post humanam culpam Deus dederit, sive non dederit, sive ad omnes pervenerint, sive ad aliquos tantum: quinimo omnes Deo sunt debitores, et omnes juxta accepta dona illi gratias agere debent.

100. Ergo si aliis rationibus nos evincimus, Deum adhuc velle servari ab homine ordinem supernaturalem, ut sic in illum suam diffunderet bonitatem, et misericordiam, non vero justitiam exercendo, suam ostenderet gloriam; et simul demonstramus, ad id non sufficere naturales vires hominis, sed absolute esse necessariam doctrinam revelatam, et simul aliqua supernaturalia media; tunc pro nihilo reputandae sunt objectiones desumptae ex justitia Dei, quia non omnibus, et aequali modo, ministrasset hominibus media necessaria ad salutem. Sed et ita res se habet. Ecquis enim audebit dicere, omnes homines esse objectum justitiae Dei, et nullum misericordiae ejusdem? Quis dixerit sola justitia, et non misericordia etiam, Deum suam velle ostendere gloriam?

CAPUT VI.

De possibilitate Divinae Revelationi.

101. Vanum prorsus esset tanto studio, tot argumentis demonstrare necessitatem Divinae Revelationis pro actuali statu hominum, ut certo inde ex infinita Dei bonitate illius existentiam concluderemus, nisi demonstretur etiam possibilitas ejusdem. Verum quidem, quod de hoc non videtur posse

dubitari. Unde enim vera intrinseca repugnantia, quae Dei excedat potentiam infinitam? Sed quia non defuerunt stulti aeque ac impii Naturalistae, qui asserere ausi sunt, nihil Deum posse revelare supra humanam rationem; ideo ut nullum effugium sit hostibus Revelatae Doctrinae, sequens sit.

PROPOSITIO XIII.

Multa potest Deus supra humanam rationem nobis revelare.

102. *Prob.* Exceptis, quae intrinsecus pugnant, sive quae necessario se invicem destruunt, omnia Deus potest. Sed nulla prorsus habetur repugnantia, ut supra humanam rationem Deus aliqua doceat homines, dum illa non sint infinita. Ergo etc. Si ad id esset repugnantia, ipsa utique vel esset ex parte hominis accipientis, vel ex parte Dei conferentis. Sed neutra ex parte habetur, neque haberi potest. Ergo etc. Non habetur ex parte hominis. Natura humani intellectus est cognoscere veritates, et exceptis, quae sive numero, sive intensitate sunt infinitae, omnium, cujuscumque naturae sint, capax esse potest. Nullimode enim repugnant, ut ens quodvis semper dicatur capax novis, et superioribus perfectionibus, dummodo tamen finitae illae semper sint, aut concipiantur. Ergo humanus intellectus, qui sui natura est potentia cognoscendi, novis semper, atque semper veritatibus est capax, illisque semper sublimioribus, et cujuscumque generis sint, dummodo tamen illae infinitae in se non sint, aut finito, et inaedequato modo concipiantur. Sed hujus generis esse intelligimus veritates, quas dicimus Deum revelare posse, scilicet vel in se finitas, vel modo saltem finito, inaedequato, aut negativo, et non positivo. Ergo nulla repugnantia habetur ex parte hominis. Confirmatur. Utique homo dicitur naturaliter cognoscere, Deum existere

et esse in omni genere perfectissimum, quin concipere possit ideam positivam, et adaequatam Dei, et entis perfectissimi. Cognoscunt rudiores, et certi etiam sunt de pluribus veritatibus physicis, et metaphysicis, quin modum, et rationem cognoscant, sed solum, quia ita docti sunt a viris sapientibus. Et omnes de pluribus veritatibus certi sumus ex sola historica auctoritate. Ergo similiter homo vere dici potest supernaturaliter doctus veritates, et mysteria, quae naturaliter non potest cognoscere, licet illarum non possit habere cognitionem positivam, et adaequatam.

103. Sed et multo minus repugnantia haberi potest ex parte Dei. Deus enim ea tantum efficere nequit, quae veram, et intrinsecam involvunt repugnantiam, et se invicem destruunt. Sed ut demonstratum est, intrinsecus non repugnat, intellectum humanum semper perfici novis, et sublimioribus cognitionibus, dummodo tamen finitae illae sint. Ergo per Revelationem elevare potest intellectum humanum ad alias superiores cognitiones, quarum naturaliter non est capax: Et consequenter multa potest etc.

Solvuntur objectiones.

104. *Obj.* Vel revelata doctrina asseritur juxta rationem, vel contra. Non illud, secus enim eadem doctrina esset simul, et non esset revelata: esset, ut supponitur, et non esset, quia esset juxta naturalem rationem, id quod repugnat. Non alterum, quia secus Deus ipse, qui hominibus loquitur per dictamen rectae rationis, praescribens illis legem naturalem, simul opposita doceret per Revelationem; id quod aperte pugnat cum summa Dei veritate. Ergo etc.

℟. *neg. maj.* Itaque Revelatio neque est juxta, neque est contra, sed quidem supra humanam rationem. Non illud, secus non esset necessaria, contra quod fusius demonstravimus: non alterum, alioquin Deus revera sibi contradiceret aliud.

praecipiens per legem naturalem, cujus est auctor, et aliud oppositum supernaturaliter docens. Itaque quod tuemur est: Quia humana ratio in statu actuali hominis insufficiens est ad duplicem finem, cui ipsa eadem cognoscit, hominem esse a Deo destinatum; ideo indiget majori, et constanti lumine, ut dirigat, et constanter conformet suas actiones ad veritates naturales; ut certo cognoscat cum ab illis aberrat; et ut alias simul cognoscat superiores veritates, quae Dei spectant naturam; et videat quoque remedia opportuna a Deo misericorditer data, ut tuto redire possit in viam salutis, in quam semel amissam non amplius naturae viribus posset ingredi, propter injuriam infinitam, quam Deo attulit peccando. Quocirca doctrinam revelatam tuemur veluti auxilium necessarium naturali rationi pro exercenda parte theorica Religionis. Necessariam quoque dicimus quoad Religionem praticam, ut suppleat media sufficientia ad reparanda mala, quibus non sufficiunt media naturalia. Neque propterea somniamus, Revelationem esse contra rectam rationem: quin potius falsam, et fictam ab impostoribus damnamus quamcumque doctrinam, quae vel unum dogma continet contra vere divinam naturae legem: et ipsa lege naturae utimur, veluti lydio lapide ad secernendam veram Revelationem a falsa.

105. *C.* Atqui licet Divina Revelatio dicatur supra, et non contra naturalem rationem, ipsa tamen absolute repugnat. Ergo etc. *Prob. min. subs.* Vel humana ratio naturalibus viribus cognoscit, Deum aliquas veritates revelasse; vel cognoscit viribus supernaturalibus; vel omnino non cognoscit. Non illud, quia cognitio naturae viribus acquisita, naturalis est, non supernaturalis: non alterum, quia secus aut semper dari deberet praecedens divina Revelatio, qua cognosceremus hujusmodi supernaturales vires nobis a Deo datas fuisse, quod repugnat propter processum in infinitum demonstrationis ejusdem per idem; aut cognoscemus viribus naturae, et tunc esset doctrina naturalis, non vero divinitus revelata: Non

ultimum; alioquin non haberetur hujusmodi doctrina. Ergo licet etc.

℟. *neg. primam partem min.* Naturae viribus, non vero sopernaturalibus, humana ratio cognoscit, cum Deus aliquas supernaturales veritates sibi revelat. Quippe nihil magis proprium facultatis intelligentis, quam cognoscere quo actu se extendunt sui vires, praeter quas ipsi datum non est aspicere. Quinimo nec etiam necessarium est cognoscere, quo revera extendi possunt; sed sufficit si tantum cognoscant, aliquam dootrinam sibi advenisse contra oeconomiam humanae intelligentiae, et cognitas naturae leges. Sicut enim, veluti in Metaphysica dictum est, ad tutum judicium formandum de veris miraculis non opus est perfecte scire, quo se extendunt naturae vires; sed sufficit cognoscere, aliquid esse contra legem, quam cognoscimus; ita necessarium non est perfecte cognoscere, quo sè extendi possunt humani intellectus vires, ut secernamus Doctrinam Revelatam a naturali: sed sufficit, ut sit contra leges, quibus naturales veritates comparantur. Neque ex quo naturali ratione cognoscuntur, dici debent naturales, sicut naturales non dicuntur actiones miraculosae, etsi naturalis sit facultas, qua cognoscimus illas naturales non esse. Et ratio est, quia intellectus non ex se efformat supernaturales cognitiones, sed tantummodo agnoscit illas sibi a Deo revelari.

106. *Ob. II.* Nequit Deus, qui est summe sapiens ea efficere, quae inutilia prorsus sunt. Sed inutile prorsus est revelare hominibus aliquas veritates supernaturales. Ergo non potest Deus etc.

℟. *neg. min.* Quoniam non casu, sed fine sui digno, Deus creavit hominem (7), quem finem duplicem esse, demonstravimus, scilicet manifestationem suae gloriae, et communicationem suae bonitatis (12): et quia propterea duplex quoque ordo et naturalis, et supernaturalis, et duplex finis

propositus est homini, terrena nimirum, et aeterna felicitas (80): et item quia homo in statu, in quo nunc est, nullimode potest aeternam felicitatem assequi; et propterea nec Deus potest complete suam bonitatem communicare; idcirco, fusius forsan quam par erat, demonstravimus, et vindicavimus, quod habito raspectu ad statum, in quo homo est, absolute nobis necessaria est Divina Revelatio (85). Nunquid ergo inutilis nobis erit Doctrina divinitus revelata, quae pro tanto bono nobis est necessaria? Si utilitatis vera mensura est bonum, quod assequimur, et malum, a quo declinamus, nihil certe nec esse, nec excogitari potest, quod nobis sit magis utile, quam Divina Revelatio.

107. *C.* Atqui doctrina Divinitus revelata est hominibus prorsus inutilis: Ergo etc. *Prob. min. subs.* Revelata doctrina, si daretur, quia supra humanam rationem, ipsa tota versaretur circa ea, quorum naturam et rationem homo non posset cognoscere, et comprehendere, uti sunt praesertim, quae appellantur Mysteria. Sed materialis, et simplex haec notitia, imo vocum solum, et non rerum, nihil prorsus nobis confert. Ergo etc.

℟. *neg. min.* Itaque primo dicimus, quod non ad discipulos, sed ad Magistrum spectat videre, quid discipulis ipsis utile sit, et necessarium ut doceantur. Ergo ad Deum, non vero ad homines pertinet definire, quae expediat nos scire, et facere, ut dignum Deo tribuamus Religionis cultum, et aeternam felicitatem nobis comparemus. Nec inutilis est cognitio illa, quae rerum naturam non attingit. Sic prodest infirmo medicina, quam sapiens medicus praescribit, quamvis ignoret infirmus medicinae naturam.

Sed et naturali quoque ratione clare cognoscimus, maxime utilem nobis esse revelatam doctrinam, etsi supra rationem ipsa sua dogmata nos doceat. Et primo quidem doctrina revelata explicat et determinat praecepta, obligationes, et jus

legis naturae, unde uniformitatis habetur, quae maxime necessaria est pro fovenda, et conservanda humana societate. Etenim cum lex naturalis cognoscatur per dictamen rectae rationis, profecto si non omnibus eadem est facultas cognoscendi, et ratiocinandi, non eadem quoque erit ratio operandi; unde necessario sequi debet confusio, et collisio in perniciem societatis. Et id maxime verum erit, si addatur immoderatus amor proprius. Secundo per doctrinam revelatam habemus conformitatem Religionis cultus erga Deum; et idcirco eliminatur Indifferentismus, qui nullimode Deo placere potest, et multum obest nobis, quoniam diversa, et opposita media ducere non possunt ad eumdem finem. Rursus per Revelationem, etsi non ideo naturam revelatorum cognoscimus, tuti tamen sumus, quod dignum, vel saltem non indignum, Religionis cultum et quoad theoricam, et quoad praticam, Deo praestamus. Tandem, quod maxime interest, habemus, et cognoscimus remedia sufficientia, et efficacia, quibus in amissam salutis viam redire possimus, et mortalibus vulneribus mederi, etsi rationem non cognoscamus, quomodo illa tam benefice operentur. Ergo dicendum etc.

CAPUT VII.

De existentia Doctrinae divinitus revelatae.

108. Quae hucusque in hac priori parte primi libri nostrarum Institutionum disputata sunt, non ad aliud erant directa, nisi ut contra Naturalistas Divinae Revelationis existentia recte, et tuto firmaretur. Unde cum ipsa sint veluti legitimae praemissae, ex quibus per se fluit nostra consequentia, nihil ultra videtur addendum pro completa nostri muneris satisfactione. Nihilominus, veluti pro legitimo corollario, breviter demonstratur sequens.

PROPOSITIO XIV.

Revera existit Divina Revelatio.

109. *Prob.* Nedum impium, sed et stultum prorsus est cogitare, Deum non ponere illa media, quae necessaria sunt ad assequendum finem, cur mundum creavit, et cui proinde hominem destinavit. Sed per solam legem, et Religionem naturalem ipse non potest suum finem assequi; et homini in statu, in quo nunc est, absolute necessaria est doctrina divinitus revelata, ut proposito sibi fini respondere possit, ut jam demonstratum, et vindicatum est. Ergo nullimode fas est dubitare, quin revera Deus Revelationem fecerit hominibus, et quin revera existat.

110. Confirmatur argumento desumpto ex facto. Omnes Nationes, quae nunc sunt, et quae fuerunt post memoriam hominum, dummodo Athei excipiantur, et Sceptici, si tamen extiterint veri Sceptici, et Athei, qui caeteroquin nullam quantumvis parvam constituerunt nationem; omnes, inquam, suum habent religionis cultum, et licet non aeque clare, et explicite, omnes gloriantur doctrina revelata. Quinimo et ipsi celebriores legum Conditores a Diis se edoctos esse contestati fuerunt. Unde hoc? Non alia certe de causa, nisi quia ipsis persuasum erat, suos populos per traditionem a remotissimis usque parentibus certos esse, olim fuisse doctrinam a Deo traditam, Deum aliquando homini fuisse loquutum: alioquin nec quidem suspicari potuissent, hujusmodi fidem omnino insolitam, ne dicam repugnantem juxta mentem illorum, sibi posse haberi; sed potius timere debebant, ne notam incurrerent impostorum, et persecutioni, aut saltem risui, se cum suis laboribus exponerent. Si ergo ita fecerunt, dicendum, quod sibi persuasum erat, populos certos esse de aliqua doctrina revelata. Sicut enim falsa pecunia certo indicio est, quod existit pecunia vera, ita falsa, et ficta doctri-

na revelata iudicat aliam veram. Imo suspicor, errorem tam communem apud omnes Gentes de pluralitate Deorum suam habuisse originem a traditione sanctissimi Mysterii Trinitatis Personarum in una Natura Divina. Durum est opinari, homines ratione praeditos ex se primo cogitare, et sibi persuadere contra lumen rationis, dari posse plures Deos. Sed potius dicendum, quod cum ex pueritia coecam fidem habuerint auctoritati parentum, paulatim pluralitatem Personarum in uno Deo verterunt in pluralitatem Deorum. Dicendum igitur etc.

Solvuntur objectiones.

111. Dicunt adversarii Naturalistae. In natura par est jus omnium Gentium. Et interim dum quaevis illarum suum habet peculiarem Religionis cultum, et gloriatur titulo revelationis, essentialiter tamen differunt inter se in hoc negotio. Nunquid diversa, et opposita diversis populis Deus revelavit? Quod si istud dici nequit, quis in pari jure solvet quaestionem? Quod si nullus hoc jus dicere poterit, necessario omnes dubitare poterunt, et debent, de veritate suae revelationis. Forsan dicemus, quod illis, qui ita dubitant, prodesse potest revelatio, etsi in se vera ponatur? At fides Divina stare non potest cum dubitatione. Aut forsan recurreremus ad Indifferentismum? Ecquid ergo Deus Revelationem dedit, si nulli prodest, quoniam nullus a falsis, et suppositis potest secernere? Ergo si non omnes simul verae esse possunt oppositae revelationes, nulla utilis dicenda est: Sed nihil inutile Deus facit. Ergo Revelationem non dedit.

℟. Vana effugia sunt ista Naturalistarum. Hucusque satis demonstratum est, necessariam esse Divinam Revelationem. Et quia non deficit Deus in necessariis ad finem, propter quem creavit hominem: idcirco recte a nobis conclusum est,

hujusmodi doctrinam revelatam revere existere. Quomodo autem vera Divina Revelatio discerni possit ab aliis falsis, et fictis sive ab impostoribus, sive a corde corrupto hominibus, quo liberius laxare possent habenas suis effraenis cupiditatibus, nostrum erit munus explendum in altera hujus prioris libri parte, quam illico pertractandam aggredimur. Interim deponant Naturalistae sui animi impietatem, et non dubitent, si tamen uti voluerint lumine rectae rationis, quin liberentur suo falso timore adinveniendi veritatem. Si Deus nullimode nec falli, nec fallere potest, evidentissime sequitur, doctrinam, quam revelare dignatus est, in omnibus esse veram, nec in minima sui parte falsam inveniri posse. Sed ipse idem insculpsit in corde omnium legem, et Religionem naturalem. Ergo doctrina ab ipso revelata, etsi, uti auxilium infirmae naturalis rationis, supra humanam rationem sua dogmata tradere debet; nihil tamen continere potest, quod evidenter contradicat rectae rationi, et divinae legi naturali. Ergo ex unico tantummodo absurdo, ex unica tantummodo vera oppositione cum lege naturali, ex una tantum manifesta falsitate, tuto concludere fas erit de falsitate cujusque doctrinae, quae veluti revelata a suis sectatoribus praedicatur. Quod cum facillimum prope sit efficere, quoniam non multae sunt principes religiones, et cujusque praecipua dogmata ab omnibus cognoscuntur, deponant, iterum dico, suum timorem Naturalistae, quia facile est tuto secernere veram Revelationem a falsa per exclusionem partium, ut vulgo dicitur. Quod si addatur fides indubia miraculorum, et praedictiones futurorum liberorum, cum ista a solo Deo esse possint, qui omnino repugnat, ut quovis modo, sive directe, sive indirecte, falsitatem confirmet; nihil ultra desiderari potest de veritate illius doctrinae, quae faciliter cognita, ut dixi, per exclusionem partium, hujusmodi momentis confirmata inveniatur. Sed coram de his omnibus.

PRIMI LIBRI

ALTERA PARS

DE VERITATE RELIGIONIS CHRISTIANAE.

112. Quoniam, ut in superiori parte hujus primi libri demonstratum est, revera existit Doctrina Revelata (109), et propterea vera Religio Divina revelata; satis videtur pro nostro munere obeundo, si demonstraverimus in hac altera parte, quemcumque alium religiosum cultum, praeter illum Christianorum, falsum esse, ab hominibus effictum, et non divinae doctrinae sed humanae malitiae innixum: nulla enim dubitatione laborat conclusio deducta ex legitima exclusione partium. Hanc itaque viam ingredimur. Sed pro dignitate, et necessitate etiam tantae rei, quae agitur, non piget eamdem veritatem demonstrare quoque, et confirmare argumentis positivis, et directis. Ad rem igitur.

CAPUT I.

Expenditur quomodo tuto dignoscere poterimus, aliquam doctrinam non esse a Deo revelatam, et propterea falsum esse Religionis cultum, qui illi innititur.

113. Profecto si existit divina Revelatio, ut revera existit (109), sub qua sola habetur cultus religionis Dei dignus, quem et Deus ipse vere exigit ab hominibus, nusquam dubitari poterit, quin nobis datum sit unde veram Revela-

tionem a falsa secernere possimus. Hujusmodi autem signum, et medium certe commune esse debet omnibus hominibus, alioquin sine sui culpa, qui illo carent, necessario aberrarent a veritate, et salute, quod pugnat cum infinita Dei sapientia, et bonitate. Sed quodnam erit istud tutum, et omnibus commune signum, et medium? Ratio certe, et Religio naturalis. Quapropter sit.

PROPOSITIO XV.

Nedum impium, sed et maxime stultum est cogitare, Deum ullo modo sibi contradicere posse.

114. Demonstratur. Sibi contradicere, idem est ac nunc velle, et nunc respuere idem, aut eadem modo affirmare, et modo negare, quin mutatae sint res, aut circumstantiae. Sed omnino id contradictorium est ex parte Dei. Ergo etc. *Prob. min.* Nequidem homo, etsi libertate praeditus, uti in Metaphysica a nobis demonstratum est, potest sub iisdem omnino circumstantiis eadem velle, et inde respuere, quoniam non potest velle sub motivo malo, nec respuere sub motivo bono. Et vera ratio est, quia eadem causa in iisdem omnino posita circumstantiis eumdem effectum producere debet; secus enim idem simul esset, et non esset. Esset scilicet eadem causa, ut supponitur, non esset autem eadem, quia ageret contra quod est. Quod si nihilominus liber est, id directe tantummodo verum est de libertate se determinandi, aut judicium suspendendi, et prosequendi examen: ex quo cum novae semper detegantur circumstantiae, diversum semper sequitur judicium intellectus, et inde actus mutantur voluntatis, et consequenter indirecte sequitur libertas, quae dici solet contrarietatis, et specificationis. Ex dictis deducebamus, quod si homo perfecte, et adaequate cognosceret naturam rerum, et omnes quascumque circumstantias, et relationes, quas secum

illae habent; tunc sicut mutationi non posset esse obnoxia sua cognitio, ita nec mutari posset actus suae voluntatis; eodem sane modo, quo mutare non potest circa bonum, et malum in genere, uti convenit inter philosophos omnes. Quinimo veluti pro legitimo corollario deduximus, quod dum libertas in nobis est maximum, et inextimabile donum, quia secus necessario laberemur in errorem non secernentes bonum, et malum apparens a reali propter limitatam notitiam rerum; ipsa tamen supponit defectum perfectae, et adaequatae cognitionis rerum. Ergo si Deus perfectissimus est, et nullus defectus in illo fingi potest, ipse res cunctas perfectissime, uti sunt in se, cognoscit, nec unquam mutari potest ipsius cognitio; et propterea dicendum, quod absolute repugnat, ipsum ullo modo sibi contradicere posse.

115. Eadem repugnantia, sed majori evidentia, evincitur ex Dei aeternitate. Æternitas definitur *Interminabilis vitae tota simul, et perfecta possessio.* Et recte quidem. Etenim si ens necessarium, et perfectissimum est Deus, ipse sicut nihil amittere, ita nihil de novo acquirere potest. Ergo ex parte Dei nulla dari potest successio: nihil ipsi est praeteritum, nihil est futurum, sed omnia sunt praesentia, et in actu; unde et purissimus actus dicitur. Ergo Deus interminabilem vitam totam simul, et perfecte possidet. Igitur si sibi contradicere posset, eadem simul, et in iisdem posita circumstantiis, vellet, et nollet, affimaret, et negaret, praeciperet, et vetaret. Sed ipse, quamvis Omnipotens, nequit efficere, ut idem simul sit, et non sit. Ergo si impium, et maxime stultum est negare, Deum esse aeternum, eadem stultitia, et impietas est dicere, ipsum sibi contradicere posse,

Solvuntur objectiones.

116. Sed dicunt adversarii. Deus liberrimus est. Ergo eadem, quae praecipit, potest et vetare.

℟. *neg. illationem.* Etsi liberrimus sit Deus, quia nulla nec interna, nec externa causa fingi potest, quae illum ad agendum, et quidem dato modo, cogat, ipsius tamen libertas non est ejusdem speciei, ac nostra. Nos utique possumus eadem nunc praecipere, nunc vetare; quia ob limites nostrae facultatis intelligendi eadem nunc praecipienda, nunc vetanda nobis repraesentantur. Sed Deus eodem semper perfectissimo modo cognoscit, nec mutari potest illius cognitio. Et item, quia est ipsa bonitas per essentiam, et non potest praecipere mala, et vetare bona; ideo quae per ipsum sunt bona, aut mala, semper sunt eadem, et propterea quae praecipit, semper praecipit, et quae vetat, semper vetat, secus idem simul esset, et non esset.

117. *C.* Atqui Deus quae praecipit, potest et vetare. Ergo etc. *Prob.* Per vos lex naturae est lex Dei. Sed lex naturae eadem modo praecepit, et modo vetat. Ergo etc.

℟. *dist. min.* Lex naturae eadem modo praecipit, et modo vetat, diversis hominibus, aut si iisdem, tamen sub diversis circumstantiis, *concedo*; *secus nego min. et illationem.* Lex naturae, quae utique est voluntas Dei, generatim, et sine ulla exceptione, praecipit summam observantiam erga Deum, verum studium nostrae perfectionis, et sinceros justitiae, et beneficentiae actus erga proximum, et vetat omnia, quae his officiis opponuntur. Sed quoniam saepissime circumstantiae mutantur, et idcirco quae favebant, obsunt, ideo ad constanter servandam naturae legem, quae tenebamur facere, jubemur omittere, et contra. Sed quid inde? Mutatur forsan lex naturae, et Dei voluntas? Quinimo immota sic manet semper, quia jubet semper facienda bona; et mala fugienda.

118. *C.* Atqui Deus revera eadem, et sub iisdem circumstantiis, praecipit et vetat. Ergo etc. *Prob.* Circumstantiae, quae per vos mutant naturam rerum, et actionem, ita ut ex bonis, et utilibus fiant mala et nociva, sunt tantum ex

parte nostra, qui jubemur obedire, non vero ex parte Dei praecipientis, cui quia aeternus est, omnia sunt praesentia, et in actu, nec usquam pro ipso mutari possunt circumstantiae. Ergo quae respertu nostri sub diversis circumstantiis modo praecipiuntur, et modo vetantur, respectu Dei vetantur, et jubentur sub iisdem omnino circumstantiis.

℟. *neg. illationem.* Inutile effugium est Adversariorum confugere ad ideam aeternitatis, quoniam prorsus inde evertitur illorum error. Et quidem quia Deus est aeternus, et aeternitas definitur per interminabilis vitae totam simul, et perfectam possessionem (115); ideo absolute repugnat, ut Deus sibi contradicat, alioquin idem simul vellet, et nollet, quod est contra principium contradictionis, et propterea quae praecipit, aut vetat, semper eodem modo praecipit, aut vetat. Sed clarius. Quoniam ratione aeternitatis omnia cum suis circumstantiis sunt Deo praesentia, et in actu, ipse utique alia semper praecipit, et alia semper vetat. Et quae ex parte nostri, quia mutantur circumstantiae, modo vetantur, et modo jubentur, ex parte Dei, quia et anteriores, et posteriores cumstantiae omnes sunt in actu, semper jubentur, et vetantur sub respectivis suis circumstantiis. His adde, quod si Deus mutari posset, ipse successioni subjectus esset, id quod absolute pugnat cum Dei infinita perfectione. Concludendum igitur etc.

PROPOSITIO XVI.

Deus uibil revelare potest, quod revera pugnet contra rectam rationem, et legem naturalem

119. *Prob.* Lex, et Religio naturalis est a Deo (35) sive est ipsa Dei voluntas nobis manifestata per dictamen rectae rationis: et quia propterea de illius veritate dubitari non potest; et etiam est communis omnibus hominibus, ipsa pro-

cul dubitatione habenda est veluti tutissimus lydius la piis pro secernenda vera doctrina revelata a falsis imposturis callidorum hominum. Et quidem si vel minimum fas esset dubitari de veritate legis naturae, actum omnino esset de medio tuto ad dignoscendam veram divinam Revelationem, quam necessariam, et jam existentem demonstravimus (85. 109) Sed nedum impium, verum et maxime stultum est cogitare, Deum ullo modo sibi contradicere posse (114). Ergo Deus etc.

120. *Corollarium.* Ergo quae Religio vel unum dogma continet evidenter oppositum principiis legis naturae, et propterea contra dictamen rectae rationis, quia lex naturae, et dictamen rectae rationis dici possunt unum, et idem, hujusmodi Religio tota rejicienda est, ut non a Deo tradita, sed ab hominibus excogitata.

Solcuntur objectiones.

121. *Ob.* Si nihil Deus revelare posset contra rectam rationem, et legem naturalem, tunc recta ratio, et Religio naturalis dici possent tutum medium ad secernendam veram divinam Revelationem a falsa. Sed id verum non est. Ergo etc. *Prob. min.* Si recta ratio esset tutum medium ad secernendam veram Divinam Revalationem a falsa, quia ipsa communis est omnibus populis, et nationibus, cunctae quoque nationes, et populi dignoscerent Divinam Revelationem. Sed non dignoscunt. Ergo dicendum, quod recta ratio, et Religio naturalis, non sunt tutum medium etc.

R. *Dist. maj.* Cunctae nationes, et populi dignoscerent, si vellent, veram Divinam Revelationem, *conc.* omnes etiam inviti cognoscerent, *neg. maj.* Sed non omnes cognoscunt ex defectu voluntatis, *conc.* ex defectu medii necessarii, et sufficientis, *n. min. et cons.* Utique omnes cognoscere possunt falsitatem propriae Religionis, quia omnes habent rectam ra-

tionem, qua cognoscere possunt, ipsam datam esse a Deo, et a Deo praecipi, aut vetari quae facienda, aut fugienda eadem ratio cognoscit : et qua item cognoscimus, Deum esse perfectissimum, et aeternum; et idcirco nullum defectum in ipso concipi posse, et omnia illi esse in actu, et consequenter nullimode sibi contradicere posse, alioquin idem simul esset, et non esset : et qua tandem pro legitima consequentia deduci potest, nihil Deum revelare posse, quod revera pugnat cum recta ratione, et lege naturali. Et quia demum omnes cognoscunt, aut saltem possunt cognoscere, si qua in ipsorum Religione sint contra veram naturalem Religionem, et inde ejusdem detegere falsitatem. Sed non faciunt: Quid inde? Quaestio est num possint, non vero num faciant. Et propterea non immoror recensere causas, cur non agnoscunt, sive melius, cur nolunt agnoscere.

122. *C.* Atqui revera recta ratio, et Religio naturalis, non possunt esse tutum medium ad secernendam veram Divinam Revelationem a falsa. Ergo etc. *Prob.* Per vos ipsos Divina Revelatio est majoris auctoritatis, et certitudinis, quam humana ratio, quoniam illa est a Deo, et idcirco semper infallibilis, et haec ab hominibus, qui facile decipi possunt. Sed per medium fallibile, et minoris auctoritatis, non potest haberi, veluti pro consequentia, effectus absolute infallibilis, et summae auctoritatis. Ergo etc.

℟. Etsi humana ratio, quia limitibus circumscripta sit erroribus obnoxia, id tamen verum non est in principiis, et veritatibus, quae ab illis immediate pendent sed tantum in remotis. Nec etiam eadem est vis, et perspicacia cujusque humani intellectus, sed infinita quasi gradatio; unde non quaevis ratio ad easdem se exendit veritates. Sed tamen habemus rectam rationem communem, de cujus veritate nullimode fas est dubitari, quia agitur de veritatibus, quae continentur intra sphaeram cujusque intellectus, et ratio ipsa bene quidem et tuto cognoscit, utrum contineantur, vel non.

Itaque cum dicimus, rectam rationem esse tutum medium secernendi veram divinam Revelationem a falsa, loquimur de recta ratione communi, et de illius exercitio circa veritates, quas certo videt, esse suae facultatis licet finitae. Sic e. g; etsi finita sit humana ratio, certo tamen cognoscit, quod idem non potest simul esse, et non esse. Item certo cognoscit, ens perfectissimum, et aeternum sibi nullo modo contradicere posse, alioquin idem simul esset, et non esset. Et propterea quia certo scit, legem et Religionem naturalem esse a Deo, certo quoque deducit, a Deo esse non posse quidquid legi, et Religioni naturali adversatur, quod profecto idem est, ac dicere, certo discernit veram Revelationem a falsa. Falluntur autem, vel fallere volunt adversarii, cum dicunt, rectam rationem non esse medium tutum, ex quo fallibilis est; et inde concludunt, non posse ex illa deduci, veluti pro effectu, auctoritatem Divinam, quae est absolute infallibilis. Ecquid ista fallacia? Nunquid auctoritas humanae rationis, dum a nobis asseritur medium cognoscendi infallibilem Dei auctoritatem, asseritur quoque veluti causa Divinae auctoritatis? Ergo ne ratio, quae cognoscit, Deum existere, est causa Dei existentiae? Aut infinitum illum dicimus, et perfectissimum., quia est medium, quo cognoscimus, Deum esse infinitum, et perfectissimum? Sufficit ergo, ut in pluribus veritatibus sit infallibilis humana ratio, ut tutum medium concludatur pro secernenda vera Divina Revelatione a quacumque alia ficta, et falsa.

CAPUT II.

Examinatur Religio Paganorum.

123. Pudet quidem examini subjicere religionis cultum Paganorum. Etenim si ex hactenus demonstratis vera Divina Revelatio nihil absurdum, nihil contra dictamen rectae ra-

tionis, naturalem scilicet legem, et Religionem, docere potest, ecquis evidenter non videt falsitatem Religionis Paganorum, in qua colitur polytheismus, vitia nefanda attribuuntur diis, et fato irresistibili subjectus asseritur ipse Pater deorum Juppiter? Sed tamen ne quid desit proposito ordini, sequens sit

PROPOSITIO XVII.

Religio Paganorum est evidenter falsa.

124. *Prob.* Religio Paganorum profitetur Polytheismum, nempe pluralitatem Deorum. Sed pluralitas Deorum est evidenter falsa, quia veram, et patentem implicat contradictionem. Ergo etc. *Prob. min.* Quisque nostrum, ut omittam argumenta physica, et moralia pro existentia entis necessarii, infiniti, et perfectissimi, quisque nostrum etsi cum scepticis dubitare velit de existentia rerum extra nos, evidentissime tamen ex sui existentia evincit existentiam istiusmodi entis necessarii, et perfectissimi. Etsi enim (ita fas est cuique ratiocinari), etsi enim nesciam cur, et quomodo existo, quando existere inceperim, quamdiu existam, tamen in dubium revocare non possum, quod existo. Sed ex ipsa eadem imbecillitate tam cognitionum, quam virium, ne quidem somniando cogitare possum, quod a meipso ab aeterno existo, quod in me sit ratio sufficiens propriae existentiae, et omnium, quae habeo; et eo vel magis, quod saepe invitus dolore afficior, et timore etiam amittendi quod habeo, sicut revera in dies nunc amitto, et nunc aliquid novi acquiro. Verum quomodo ita, si ratio sufficiens propriae existentiae, et omnium quae habeo, in me esset? Necessaria profecto mihi esse deberet existentia, necessaria omnia, quae ab illa dependent, nec cuique externae vi subjecta. Sed ita non est. Ergo ex quo major est mea ignorantia, et mea omni respec-

tu imbecillitas, eo magis certus sum, quod a me non existo, quod ratio sufficiens mei totius in alio est, a cujus voluntate sum, et omnino dependeo. Nequit enim aliquid existere, nisi vel a se, vel ab alio. Ast cujus naturae erit ens illud, a quo ego sum? Num ejusdem meae? Quippe si ita esset, cresceret necessitas existentiae alterius, in quo ratio sufficiens utriusque nostri contineri deberet. Sed quo magis extenditur haec processio, et catena effectuum, et causarum subordinatarum, eo magis crescit necessitas inveniendi primam causam, in qua ratio sufficiens inveniatur omnium, nec unquam ista catena quantumvis prolungatur, fieri poterit, ut non habeat semper novum annulum, seu novam causam finitam, et limitatam, quae propterea semper ab alia petit sui rationem sufficientem. Et quidem supponatur, id quod nedum concipi mente non potest, sed et omnino repugnat, quod existit jam haec catena infinita: ipsa erit series numerorum, quae incipit ab unitate, nempe a me. Ego igitur sum primus terminus. Ast si terminus ego hujusmodi catenae, quomodo infinita dici poterit? Ergo si ex una parte terminum habet, finita ipsa est, et alterum terminum habere debet, qui rationem omnium subordinatorum annulorum in se continet, et simul quoque rationem sui. Ergo primus iste terminus est ens necessarium, et propterea absolute perfectissimum, independens omnino, omnipotens, omnium causa, et creator, omnium rector, et gubernator, omnium Dominus, super omnia Dominans.

125. At dicant Pagani, possunt ne concipi plura hujusmodi entia perfectissima? Profecto vel unumquodque dominaretur super caetera alia, vel nullum, vel unum solum. Si illud: ergo unumquodque erit sub dominio aliorum, et omnia idcirco essent dependentia. Si alterum. Ergo cuique illorum deesset dominatio, et quidem super entia infinita, et propterea unumquodque finitum esset, et imperfectum. Ergo ultimum: et idcirco dicendum, quod unum tantum esse po-

lest ens perfectissimum, et pluralitatem Deorum, sive Religionem Paganorum, esse evidenter falsam.

226. *Prob. secundo.* Pagani admittunt Fatum, nempe necessitatem ineluctabilem, cui omnes Dii, non excluso ipso Jove, subjecti sunt, nec quidquam contra illud a Diis effici posse. Id patet ex omnium poetarum et scriptorum paganorum libris. Hinc Minerva sic alloquitur Jovem apud Homerum Iliad. 10 ℣. 178. *Virum mortalem, jam olim destinatum fato. Jam vis a morte tristi liberare?* Et Erodatus, ut alios innumeros praeteream, in Clio scripsit: *Ipsum autem fatum declinare nec Deus quidem ullo pacto potest.* Nunquid ergo fatalis ista necessitas stare poterit cum Deo perfectissimo? Quod si id omnino pugnat, iterum dicendum, quod Religio Paganorum etc.

127. *Prob. tandem.* Haec eadem falsitas non minus clare patet ex vitiis, et quidem maxime etiam nefandis, quae suis Diis Pagani tribuebant. Quis non horrescit audiens, quae Jovi, Veneri, Mercurio, Vulcano, Marti, Baccho etc. attribuerunt, et spurcitias, et scelesta, quae in illorum diebus festis in eorumdem honorem exercebant? Nunquid juxta dictamen rectae rationis, si non juxta naturam entis sanctissimi, et perfectissimi, dicemus ista horrenda? Sunt ne virtutes, et perfectiones, an vero nefanda vitia, et defectus? Si ab hominibus patrarentur, praeter quam in honorem illorum, cum dies festos eisdem dicatos celebrabant, praemio ne ac laude, an vero poena potius, et infamia digna existimarentur? Ergo dicemus digna ente perfectissimo, et cultu religioso erga idipsum? Nihil dico de perridiculis superstitionibus, de auguriis, quae sumebant ex volatu, cantu, et visceribus animalium, et maxime praeteribo victimas humanas, quas saepe, veluti gratissimas suis crudelibus Diis offerebant pro expiatione publicae offensae, et pro placanda ardentiori, et crudeliori ira Deorum. Concludendum igitur etc.

Solvuntur objectiones Paganorum.

128. *Ob.* Pagani dum pluralitatem Deorum celebrabant, unum tamen supremum Deum confitebantur, et adorabant, nempe Jovem, eodem quasi modo, quo Christiani plures sanctos colunt, sed unum sui, et illorum Deum confitentur, et adorant. Ergo injuste illos calumniamini, cum evidenter falsam asseritis eorumdem Religionem.

℞. *Neg. ant. cum paritate.* Admiramur audaciam adversariorum, cum pluralitatem Deorum Gentilium conferre non erubescunt cum pluralitate sanctorum apud Christianos, et proprie Romanae Communionis. Pagani enim veros dicebant Deos, quos adorabant, et illis separata, absoluta, et exclusiva dominia tribuebant. Sic Coeli imperium dicebant esse solius Jovis, Neptuni illud maris, et inferni Plutonis, et sic pariter multa multis exclusive tribuebant; unde et ipse Juppiter precibus forsan, at non propria auctoritate, quidquam efficere poterat in possessione caeterorum. Et ideo habemus apud Virgilium, quod Juno non Jovi, sed Eulo, se commendavit, cum submergere volebat Æneam simul cum classe illius: et Neptunus contra ventis, et illorum Regi exprobravit temeritatem, cur sine sua venia turbare ausi sint mare, quod suberat suo imperio. At Christiani non colunt Sanctos, veluti Deos, sed veluti fideles Dei servos, et id quidem ut majorem gloriam tribuant Deo, cui etiam se commendant per merita Sanctorum, ut facilius impetrare possint necessaria auxilia ad salutem. Caeterum cultus Sanctorum est omnino diversus ab illo, quem tribuunt Deo: est enim dignus creaturis, non vero Creatore.

129. Atqui Pagani eodem ferme modo confitebantur, et adorabant pluralitatem Deorum, quo Christiani adorant pluralitatem Sanctorum. Ergo etc. *Prob. min. subs.* Pagani cui unam, cui alteram partem terrae tribuebant suis Diis; et Christiani pariter cui unam, et cui alteram Provinciam, et

Civitatem suis Sanctis dicarunt, a quibus tuto protegi summa religione confidunt: Item cui super visum, cui super alias partes corporis imperium tribuunt: et quod, magis quam cultus Paganorum, risum cum scandalo movet, quasi cuncta animalia sub dictione posuerunt suorum sanctorum. Sed id, et non aliud faciebant, et faciunt Pagani. Ergo si pluralitas Sanctorum non reddit evidenter falsam Religionem Christianorum, nec falsitatis pariter redargui possunt Pagani, ex quo plures adorant Deos.

℟. *dist. maj.* Pagani etc. sed modo omnino diverso, *conc.* eodem modo, *n.* Sed etc. *n. min. et cons.* Itaque Christiani cum aliquem ex suis Sanctis, quos solum veluti creaturas Deo fideles adorant, sibi eligunt pro peculiari patrono suarum urbium, provinciae, et regni, et cui etiam commendant sanitatem vel totius, vel alicujus partis sui corporis, et sub cujus protectione ponunt objecta suae industriae, uti praesertim sunt animalia, non ea mente, et fide faciunt, quasi a Sanctis satisfieri possit suis votis, et precibus, sed ut pro ipsis Sancti intercedant apud unum verum Deum absolutum Dominum omnium rerum, et ut Deus quasi intuitu fidelis servitutis sanctorum dignetur commisereri, et conferre gratiam. Non ergo Christiani adorant Sanctos, veluti dominos, sed per illos adorant, et deprecantur unum solum Deum. De hac veritate facillime convinci possunt adversarii legendo orationes, quas Christianorum Ecclesia recitandas proponit, et jubet in diebus festis Sanctorum. Non enim Sanctis, sed uni Deo diriguntur preces, et non a Sanctis, sed a Deo per intercessionem Sanctorum, precamur et veniam peccatorum, et bona cuncta, praesertim vitae aeternae. Quid ergo hujusmodi cultus Sanctorum, cum cultu vere idolatrico Paganorum? Ubinam apud poetas, et paganos scriptores legitur ab ipsis non vere, et directe adorari, et precari suos peculiares Deos, sed solum Jovem per merita, et intercessionem illorum? Longe ergo absit tam injuriosa, et impia comparatio.

130. *C.* Atqui eodem prorsus modo, ac apud Paganos, in Religione Christianorum adoratur et colitur pluralitas Deorum. Ergo aut utraque, aut neutra dicenda est falsa, veluti contra dictamen rectae rationis. *Prob.* Religio Christiana eodem cultu, quo adorat Deum Patrem, adorat quoque illius Filium, et etiam Spiritum Sanctum, et post illos innumeros prope Sanctos, et Sanctas. Sed hoc, et non aliud faciebant Pagani; adorabant scilicet ut verum Deum Patrem Saturnum, et etiam ut veros Deos illius Filios, Jovem scilicet, Neptunum, et Plutonem, et post illos, sed veluti a terra sublatos ad Coelum, colebant, et adorabant inclytos viros, et mulieres. Ergo etc.

℟. *dist. maj.* Religio Christiana etc., et quidem adorat ut tres Deos individualiter existentes, *n. maj.* adorat, ut tres personas realiter quidem distinctas, sed tamen subsistentes in unica Natura, seu Essentia, et Substantia Divina, *conc. maj.* Sed etc. *neg. min. et cons.* Nescio num risu magis, quam exsecratione commotus sim audiens tam impiam comparationem cum augustissimo Mysterio Sanctissimae Trinitatis, quod est fundamentum princeps Religionis Christianorum. Itaque Christiani dum adorant Divinum Verbum ut verum Filium Patris, credunt illud a Patre esse genitum intellectu, et quidem ab aeterno, non vero extra se editum, quasi ut, jam genito, sint Duo individua separata, veluti duae substantiae diversae. Quinimo cum aeternitas excludat successionem, Christiani non intelligunt Verbum fuisse olim generatum, sed actu semper generari. Rursus, cum dicunt Spiritum Sanctum esse verum Deum, et procedere ex Patre et Filio, non intelligunt illum esse tertiam individualem substantiam, sed esse terminum amoris Dei Patris, et Filii: et quidem ob eamdem rationem aeternitatis, non dicunt, fuisse quondam spiratum, sed actu semper spirari. Nec inde contradictione unquam poterimus argui, ex quo, dum verum Deum dicimus Patrem, verum Deum Filium, et ve-

rum Deum Spiritum Sanctum, contendimus tamen unum Deum esse, et unum a nobis adorari. Etenim dum credimus Trinitatem Personarum, credimus etiam, illas non esse tres distinctas substantias, sed potius tres distinctos modos existendi unius divinae Naturae, Essentiae, et Substantiae, et terminos operationum *ad intra* ejusdem unicae Substantiae. Ergo dum credimus, et confitemur realem distinctionem Personarum in Deo, unum adoramus Deum, unicam Substantiam, et Naturam Divinam. Ineffabile non solum, sed et prorsus inconcipibile est hoc Mysterium: sed tamen nullam implicat contradictionem. Suo loco longior de ipso redibit sermo. Sed quid Saturnus cum Deo Patre, quid illius Filii cum Æterno Divino verbo? Juppiter, Neptunus, et Pluto adorantur a Paganis, ut tria substantialia individua, qui et matrem quoque habuerunt, a qua subdole salvi facti fuerunt ab ira Patris: et quidem semel geniti et procreati, ut caeteri filii, nec semper fuerunt, nec amplius postea gignuntur. Sed... Sed jam pertaesum est plura respondere. Concludendum igitur etc.

CAPUT III.

Subjicitur examini Religio Judaeorum.

131. Cum examini subjicimus Religionem Judaeorum, non animus est scrutari, num revera revelata sit a Deo illorum doctrina. Quinimo omni studio hanc tuemur veritatem. Quod quaerimus, illud est, utrum modo Deo placeat illorum Religio, an potius repudietur, quoniam cognoscere nolunt adimpletionem prophetiarum, quas divinas colunt, et adorant. Unde dum aeque ac ipsi a Deo tuemur esse eorum Religionis libros, contradictione tamen illos revincimus, et extra salutis viam esse dicimus, quoniam advenit Messias, quem illorum revelata doctrina promittit, et ad quem tota directa est, et cui innititur, et ipsi pervicaciter agnoscere no-

luunt ; quapropter vane adhuc sequuntur figuram , quia advenit jam figuratum. Sit ergo

PROPOSITIO XVIII.

Ex Vaticinio Jacob benedicentis Filium Judam invicte demonstratur, Messiam jam advenisse a tempore usque Jesu Nazareni : quapropter in contradictione sunt Judaei, qui cum librum Geneseos pro Divino admittunt, Messiam jam advenisse negant.

132. *Prob.* Vaticinium Jacob sic se habet Geneseos cap. XLIX. *Vocavit autem Jacob filios suos , et ait eis : Congregamini ut annuntiem , quae ventura sunt vobis in diebus novissimis. . · Juda , te laudabunt fratres tui : manus tuae in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii Patris tui... Non auferetur sceptrum de Juda , et dux de femore ejus , donec veniat , qui mittendus est , et ipse erit expectatio gentium . . . Lavabit in vino stolam suam , et in sanguine uvae pallium suum . . .* Non immoror demonstrando , omnia hujus prophetiae verba verificata esse in persona Jesu Nazareni , sed solum urgeo novissimam partem , scilicet : *Non auferetur sceptrum de Juda.* Et quidem ista verba clarissime indicant , non defuturum de tribu Juda sceptrum , et ducem , scilicet potestatem regiam , aut judiciariam : Etenim *Dux* apud Judaeos idem est ac Legislator , vel Judex , vel Scriba ; quapropter in Hebraico legitur : *Non deficie sceptrum de Juda , nec Legislator de subpede ejus , donec veniat Silo ; et ipse erit etc.* Sed sceptrum , Dux , Legislator, Judex , Scriba e tribu Juda jam defecit usque a nativitate Jesu Nazareni , nec amplius ad Judaeos rediit. Ergo venit jam Messias , et propterea etc. Major per se patet. Quod si contra Logicae regulas , et Hermeneuticae artem aliquid contra proferre audeant Judaei , videbimus in solutione argumento-

rum. *Prob.* itaque *min.* Et quidem in Nativitate Jesu Nazareni jam Judae sceptrum erat apud alienigenas, regnabat enim Herodes Ascalonita, qui juxta prophetiam Davidis psal. 107. v. 10 erat Idumaeus: *In Idumaeam extendam calceamentum meum, mihi alienigenae amici facti sunt.* Communis est haec sententia, et pluribus locis testatur Josephus Hebraeus, praesertim lib. XIX. Antiq. cap. 27. ubi Antigonum ab illo Herode oppressum sic loquentem inducit: *Ad haec Antigonus ita respondebat verso sermone ad Sylonem, ac Romanos milites, iniquum eos facere, qui Herodi regnum astruant homini privato, et Idumaeo.* Si ergo Herodes iste Idumaeus erat scilicet ex prosapia Esau fratris Jacob, et senatus consultu Romanorum in Regem Galileae inauguratus, ut idem Josephus lib. XIV. cap. XIV. et XV. scribit, profecto Sceptrum Judae ablatum fuit a tribu Judae · quod si gratam rem Jacob praedixit, non ablatum iri, donec veniret Messias, ut Judaei ipsi confitentur: dicendum, Messiam jam advenisse, et Judaeos, qui illum adhuc expectant, esse in vera contradictione.

133. Haec momenta nullimode Judaei evacuare poterunt. Verum ut pressius contradictione revincantur, dicant: habent ne nunc Regem, et Sceptrum quodcumque, quod usque ad Messiae adventum ipsis adpromisit Jacob? Nonne ut vagi, et servi municipales dispersi sunt per cunctas nationes? Sed ex quo tempore? quandiu? profecto, ut scribit Justinus Apologia secunda, nec ipsi Judaei negant, a morte usque Jesu Nazareni. Quippe in illius vindictam a Tito, et Vespasiano Romanis Imperatoribus Hierosolyma prorsus devastata fuit, et cuncti Judaei ducti fuerunt in servitutem, nec amplius ullibi in nationem se erexerunt. Ex quo adamussim adimpleta fuit Oseae prophetia cap. III. v. 4. *Quia dies multos sedebunt filii Israel sine Rege, et sine Principe, et sine Sacrificio, et sine altari, et sine Ephod, et sine Theraphim.* Haec nullimode negari possunt a Judaeis, nec reipsa negan-

tur. Etenim ipsi illorum Doctores ultro fatentur, ut praesertim Rabi David Komachi in Oseae cap. III. v. 4. ubi ait. *Hi sunt Dies exilii, in quo hodie sumus, nec Regem habemus, nec principem ex Israel, in potestate quidem Gentium sumus.* Cui suffragatur Rabi Manasse in Conciliatore ad Genesim XLIX his verbis: *Quam poenam nunc fatemur, sine Rege, sine principe, sine imperio agentes etc.* Ergo si a tot saeculis, scilicet usque a Christi Jesu nativitate, sceptrum ablatum est a Tribu Juda, in qua juxta prophetiam Jacob, quam veluti divinam venerantur Judaei, manere debet usque ad Messiae adventum; et Judaei subditi dispersi manent sub imperio Gentium, quis non videt manifestam illorum contradictionem, dum veram et infallibilem dicunt allatam prophetiam, et tamen pervicaciter negant Messiae adventum?

Scio, non defuisse, qui ex utroque latere se contorquentes ad verba allatae prophetiae non erubuerint respondere, se regnum habere in monte Caucaso. Sed hujusmodi stulta mendacia risu excipiuntur in nostra aetate, in qua jam notae sunt gentes cujusque partis terrae, quem Religionis cultum profitentur, et sub cujus dominatione inveniuntur. Concludendum igitur etc.

Solvuntur objectiones.

134. *Ob.* Vaticinium Jacob multos, et obscuros sensus subit, praesertim priora verba: *Manus tua in cervicibus inimicorum tuorum.* Et ultima: *Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvae pallium suum.* Ergo nihil ex eo recte concludi potest de Messiae adventu.

℟. *dist. ant.* Vaticinium Jacob multos, et obscuros subit sensus, quoad prima, et ultima verba objecta, *conc.* quoad verba illa: *Non auferetur sceptrum etc. nego. ant. et cons.* Quamvis varia sit interpretatio verborum, quae in objectione allata sunt, clarissima tamen est sententia de sceptro,

scilicet de potestate, quocumque nomine nuncapata, vere imperandi, quae perduratura esset apud Tribum Judae, usque ad Messiae adventum. Sed jam defecit hujusmodi potestas a nativitate usque Jesu Nazareni, nec amplius per tot saecula ad Judaeos rediit, qui adhuc inter gentes dispersi sunt, nec unquam datum est ipsis uniri in nationem. Ergo revera in contradictione sunt, dum veluti divinas suas venerantur scritpturas, et adhuc Messiam expectant.

135. *C.* Atqui Vaticinium Jacob vagum, et obscurum sensum exhibet etiam quoad verba illa: *Non auferetur sceptrum de Tribu Juda etc.* Ergo etc. *Prob.* Vox hebraea *Scheveth*, quam latinus interpres vertit Sceptrum, significat virgam. Sed virga in scripturis potius afflictionem, quam dominationem significat, juxta illud psalmi 88. v. 31. *Si autem dereliquerint filii ejus legem meam.... Visitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum.* Ergo etc.

℟. *dist. min.* Virga in Scripturis etc. sed in Vaticinio Jacob sumenda est pro afflictione, *neg.* sumenda est pro sceptro dominationis, *conc.* Ergo etc. *n. cons.* Duplici quidem sensu vocabulum *virga* sumi solet in Scripturis Sacris, et pro dominatione, et pro afflictione. Sic idem David modo adhibet pro afflictione, in psalmo in objectione allato; et modo pro sceptro dominationis, ut in psalmo 44. v. 7. *Virga directionis, virga regni tui* Quod autem in hoc, et non in priori sensu accipienda sit in vaticinio Jacob, res evidentissime patet. Primo, quia Jacob per modum benedictionis non infausta, sed fausta praedicebat. Secundo, rem meridiana luce clariorem faciunt verba, quae immediate in eumdem sensum sequuntur, scilicet: *Et dux de femore ejus.* Quocirca septuaginta verterunt: *Non deficiet princeps de Juda, et dux de femoribus ejus.* Quam lectionem sequuti sunt Theodotion, Aquila, et Symmacus, et ab eadem non recedunt paraphrases Chaldeae: Etenim Onkelos vertit: *Non deficiet*

exercens Dominium. Ergo dicendum, quod Scheveth, *Virga*, in nostro vaticinio non pro afflictione, sed pro sceptro dominationis sumenda est.

136. *C.* Atqui licet vox *Scheveth*, idest virga, interpretetur pro sceptro, adhuc tamen vaga, et ambigua est sententia Vaticinii Jacob pro asserendo Messiae adventu. Ergo etc. *prob.* Vox hebraica *Jasour*, quam latinus interpres vertit *non auferetur*, *significat declinare*. Ergo sensus Vaticinii est: *Non declinabit sceptrum ad Tribum Juda*, *donec etc.* En ergo sensus vagus, et obscurus.

℟. *dist. ant.* Vox hebraica *Jasour* significat in nostro vaticinio *declinare ex*, *conc.* significat *declinare ad*, *neg. ant. et cons.* Itaque vox hebraica *Jasour* per se solam significat *declinare*, cui secundum sensum vel additur particula *el*, latine *ad*, vel particula *min*, latine *ex*. Quod autem haec, et non illa addenda sit in Vaticinio Jacob, clarissime evincitur ex quo *min*, et non *el* revera legitur in textu hebraico, ut vertit Walton. *Non recedet virga ex Juda*, *et legislator inter pedes ejus*, *usquequo veniet Siloh.* Et Xantes Pagninus: *Non recedet virga ex Juda, et legislator de inter pedes ejus, donec veniat Messias.* Et ut vertunt Septuaginta. *Non deficiet princeps ex Juda, et Dux de femoribus, donec veniant, quae reposita sunt ei.* Quid ulterius desiderari potest de vero sensu vocis *Jasour* ad indicandum quod non auferetur sceptrum de Tribu Juda, donec etc.?

137. *Ob. secundo.* Sceptrum ablatum fuit de Tribu Juda a tempore usque captivitatis Babilonicae, et quidem mortuo Iechonia Rege, qui fuit ultimus Judae Rex. Etenim sic legitur Jeremiae cap. XXII v. 29, et ulti. *Terra, terra, terra, audi sermonem Domini. Haec dicit Dominus: Scribe virum istum sterilem, virum, qui in diebus suis non prosperabitur: nec enim erit de semine ejus vir, qui sedeat super solium David, et potestatem habeat ultra in Juda.* Sed per vos tunc non apparuit Messias. Ergo nec recte concludi

potest advenisse tempore Jesu Nazareni, ex quo eo tempore regnabat Herodes Ascalonita, qui et Idumaeus erat, et ab Imperatoribus Romanis obtinuerat sceptrum. Et propterea in contradictione non sunt nostri temporis Judaei, qui adhuc Messiam expectent.

℟. *dist. maj.* Sceptrum etc. et in captivitate Babylonica post mortem Jechoniae Judaei non habuerunt, qui illos regeret nomine Regis, *conc.* non habuerunt duces, *neg. maj. et conc. min. neg.* utramque *cons.* Transacta captivitate Babylonica, Respublica Judaeorum utique gubernata fuit, si non per Reges, utique per Duces, juxta vaticinium Jacob. *Non auferetur sceptrum de Tribu Juda, nec Dux de Femore ejus etc.* Et quidem Jechoniae successit Salathiel dux de Tribu Juda, juxta illud Matth. cap. 1, v. 7. *Post transmigrationem Babylonis Jechonias ginuit Salathiel, Salathiel autem genuit Zorobabel etc.* Ergo Jeremias vocat Jechoniam sterilem quoad filios Reges veri nominis, non vero quoad filios Duces.

138. *C.* Atqui tempore Babylonicae captivitatis Judaeorum regnum penitus extinctum fuit. Ergo etc. *Prob.* Tunc sceptrum, et Regnum dicitur penitus ablatum, quando Rex cum proceribus, et populo captivus ducitur, et provinciae, cunctae urbes, et tota terra transit in potestatem victoris, ita ut nihil omnino supersit pro devicta Natione. Sed res ita se habuit tempore captivitatis Babylonicae respectu Tribu Juda, quae tota cum suo Rege captiva ducta fuit Babylonem, ut habemus ex cap. xxv. v. 21. lib. iv. Regum *Translatus est Juda de terra sua.* Ergo etc.

℟. *dist. maj.* Tunc sceptrum etc., si nihil potestatis civilis, et super vitam, Regi et Nationi devictae remaneat, *conc. secus*, *n. maj.* Et contra distincta *min. n. cons.* Etsi cum Sedecias Rex Juda captivus ductus fuit cum omnibus proceribus, et ferme cuncto populo in Reblatha ad Regem Babylonis, nulla potestas remanserit Regi et tribui super bona temporalia, remansit tamen potestas pro rebus civilibus, ita

ut et Rex, et Ministri ejus, etiam capite damnarent Judaeos prevaricatores legum, uti reipsa Daniel Junior purgavit Susamnam a falso crimine, et morti tradidit Senes calumniatores. Ergo quamvis captivus erat Rex, suprema tamen potestate gaudebat super Tribum Juda veluti revera sibi subditam. Ergo imminuta, non vero penitus extincta tunc fuit Regia potestas in Tribu. Caeterum hujusmodi imminutio non multum perduravit. Etenim, ut legimus in eodem cap. xxv. lib. iv. Regum Evilmerodach, qui successit in Regnum Babylonis, anno, quo regnare coeperat, qui fuit trigesimus septimus transmigrationis Joachim . . . et posuit thronum ejus super thronum regum, qui erant cum eo in Babylone. Ergo imminuta tantum Regia potestas, sive potius interruptum fuit illius exercitium. Sed quis dixerit, hujusmodi interruptione penitus sceptrum auferri, maxime si firma spes adsit illud recuperandi, uti revera firmissimam habebant Judaei innixi prophetiae Jeremiae, qui et captivitatem, et captivitatis, tempus septuaginta annorum clare praedixerat?

139. *Dices*. Sub Imperio Graecorum Judaei coacti fuerunt suscipere a Regibus Syriae non solum duces, sed etiam Pontifices. Etenim tributa solvebant Alexandro Magno Macedoni, ut habetur apud Esdram, et legimus in libro 2. Machabaeorum, cap. iv. quod Jason frater Oniae Magni Sacerdotis pecunia numerata Pontificatum obtinuit ab Antiocho. Ergo si per vos Sceptrum Juda cessavit usque a nativitate Jesu Nazareni, quoniam tunc temporis regnabat Herodes Ascalonita ex Senatus Consultu Romanorum, potiori jure dicendum esset, quod cessavit etiam sub Regibus Syriae. Sed hoc non arridet. Ergo nihil recte deduci potest de Vaticinio Jacob circa Messiae adventum.

℟. Non negamus, Judaeos maxima angustia pressos fuisse per spatium septuaginta annorum sub Regibus Babylonis, et Graecorum, et modo in veram captivitatem fuisse doctos, et modo coactos tributa solvere. Sed semper habuerunt

ex sua Tribu virum, penes quem etiam super vitam erat plena potestas. Ergo revera non cessavit sceptrum et Judex ex illa Tribu. Nunquid non dicemus Regem, qui necessit te coactus tributa solvit alieno Regi, et Principi, ut Supremo Imperio libere fungi possit in sua natione? Nunquid non dicemus veros Reges, et Principes majoris fo san partis Europae, et totius Italiae, qui a paucis annis cessarunt solvere tributa Rebus publicis Africae septemtrionalis? Ergo nihil officit pro tuendo Sceptro in Tribu Juda, si tributum Judaei solverint, ut Reges, et Duces haberent ex sua Tribu. Magnum ergo patet discrimen quoad Herodem Ascalonitam Regem institutum a Romanis, quoniam iste non verus Judaeus erat, sed Idumeaus ex prosapia Esau. Idem dicendum de Jasone, qui pecunia numerata pontificatum obtinuit ab Antiocho Nobili. Ipse enim, etsi impie se gesserit, erat tamen Judaeus, et quidem frater Oniae Magni Sacerdotis.

140. *Inst.* Machabaei per ferme centum quinquaginta annos veluti Duces imperarunt super Tribum Juda. Sed ipsi erant ex Tribu Levi, nam, ut legimus lib. 1. cap. 2. Machabaeorum, Mathathias eorum pater erat Sacerdos, et de vice et familia Joarib; scilicet de Filiis Aaron, ut ex lib. primo cap. XXIV. Paralipomenon. Ergo multo ante nativitatem Jesu Nazareni Sceptrum deficere debuisset ex Tribu Juda, juxta vaticinium Jacob. Sed non deficit. Ergo nihil certi ex illo deduci fas est de Messiae adventu.

R'. Scio quod veluti maximi ponderis haec difficultas a Judaeis proponitur. Verum talis reipsa non est. Quippe in Captivitate Ninive caeterae tribus pene extinctae fuere, et pauci ex illis reliqui confugerunt ad confratres suos ex Tribu Juda, ex quo tempore cessarunt vocari Israelitae, et Judaei dicti sunt, usque modo dicuntur. Ergo una Tribus Juda permansisse dicenda est, et Judaei sunt omnes existimandi. Praesertim id dicendum est de Machabaeis, qui ex linea materna erant veri Judaei; et tribus paterna Laevi, ut Sacerdotalis, non

habuerat partem in divisione Terrae promissionis, et Levitae caeteris tribubus fuerant commixti. Ergo ex hac et altera adducta ratione, jure merito dicendi erant Judaei. Hisce adde, quod cum Septuaginta verterint: *Non auferetur sceptrum* , *et dux de femoribus* (et non de femore) , multi ex vaticinio Jacob non excludunt foeminas.

141. Sed ratio potissima, quae prorsus destruit difficultatem, est, quod Machabaei Duces praeliorum facti fuerunt apud Judaeos ex electione Senatus, vel saltem, imperante necessitate, ex consensu tacito Judaeorum. Etenim in libro primo, capite 9 Machabaeorum v. 30 legimus, quod occiso Juda in praelio, Judaei amici illius congregati sunt , et in locum ejus elegerunt Jonatham , dicentes. *Nunc itaque te hodie eligimus esse pro eo* (fratre tuo Juda) *nobis in principem et ducem ad bellandum bellum nostrum.* Nunquid ergo dicemus in Natione libera , qualis erat illa Judaeorum, Sceptrum , Principem, Ducem, dominationem prorsus deficere, si senatus (apud Judaeos Synetrium), aut populus ipse, sibi in Regem , in Ducem etc. aliquem ex aliena natione eligit? Multo minus ergo defecit apud Judaeos, cum vel vera electione, vel saltem consensu tacito, quoniam tempus non fuit, congregandi senatum, aut consulendi populum, Machabaei duces fuerunt Judaeorum, qui Judaei et ipsi, ex superius adductis rationibus vere poterant dici. Concludendum igitur.

142. *Scholion.* Ad haec duo redigi possunt omnes objectiones contra nostram Thesim , scilicet saepe Judaeos subactos fuisse, et pene deletos , et in servitutem ductos ; et Machabaeos , qui fere per saeculum cum dimidio apud illos dominarunt , non fuisse vere ex Tribu Juda. Ad illud respondetur , captivitatem non fuisse tam diuturnam , neque continuam , et eo tempore remansisse apud Judaeos captivos potestatem etiam super vitam suorum civium , quapropter sceptrum dicendum esse interruptum , et suspensum , non vero penitus ablatum , et extinctum. Ad alterum dicimus, tempo-

re Machabaeorum unam fuisse Tribum Israelitarum, et hanc Judaeam, quoniam pauci, qui reliqui fuerant, in illam se incorporaverunt. Quocirca quicumque imperaret, quia imperabat in Tribu Juda, sceptrum in Tribu Juda dicendum est, et maxime si qui imperabat, imperabat consensu expresso, vel saltem tacito populi Judaici.

PROPOSITIO XIX.

Ex scripturis, quas Judaei pro infallibilibus, et divinis adorant, rectissime evincitur Messiam in lege promissum fuisse Jesum Nazarenum: quapropter Judaei, qui adhuc expectant, in vera contradictione versantur.

143. *Prob.* In superiori thesi ex vaticinio Jacob, quod Judaei veluti divinum adorant, satis demonstratum, et vindicatum est, Messiam jam advenisse a tempore usque Jesu Nazareni, quia ab eo tempore penitus cessavit sceptrum et princeps de Tribu Juda, nec amplius post tot saecula ad illam rediit; et propterea Judaeos, qui adhuc expectant, esse in vera contradictione. Itaque interest modo rursus illos contradictione revincere, demonstrando ex aliis ipsorum Scripturis, promissum Messiam fuisse Jesum ab illorum Majoribus crucifixum. Ad rem itaque.

144. Et primo quidem, Daniel cum adhuc esset in captivitate priusquam Cyrus remisisset Judaeos, quod accidit anno circiter 525. ante nativitatem Christi, illam habuit tam celebrem visionem Septuaginta hebdomadum. Illa ita se habet Danielis cap. 9. v. 24. *Septuaginta hebdomades abbreviatae sunt super populum tuum, et super urbem Sanctam tuam, ut consumetur praevaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo, et animadverte: ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem, usque ad Chri-*

stum ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duae erunt: et rursum aedificabitur platea, et muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus: et non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et Civitatem, et Sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una: et in dimidio hebdomadis deficiet hostia, et sacrificium: et erit in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio. Dicant Judaei, cui alteri, praeter Jesum Nazarenum, haec Prophetia convenire potest? Profecto septuaginta hebdomades numerandae sunt ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem, et inde hebdomades sexaginta duae erunt; et post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus: et postea populus cum duce venturo dissipabit Civitatem, et Sanctuarium: et post finem belli statuta desolatio.

145. Et quidem primo Daniel, ut habemus ex ejus lib. cap. IX. anno primo, et uno Darii Filii Assueri de semine Medorum, non solum ex libris Ieremiae intellexit, ut complerentur captivitatis Jerusalem septuaginta anni, sed etiam ex Gabriele edoctus fuit, universum genus humanum post septuaginta hebdomadas, (annorum per promissum Messiam liberatum iri ex peccatis suis, et potestate Diaboli. « *Daniel*, » haec sunt verba Gabrielis (Dan. cap. IX. v. 22) *Daniel* » *nunc egressus sum ut docerem te, et intelligeres. Ab exor-* » *dio precum tuarum* egressus est sermo: ego autem veni, » ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es; tu ergo a- » nimadverte sermonem, et intellige visionem, Septuaginta » hebdomades abbreviatae sunt super populum tuum, et su- » per urbem sanctam tuam, ut consumetur Praevaricatio, et » finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et abduca- » tur justitia sempiterna, et impleatur visio, et prophetia, » et ungatur Sanctus sanctorum. Scito ergo, et animadverte.

» Ab exito sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem; hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duae erunt: et rursum aedificabitur platea, et muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus: et non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem, et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una: et in dimidio hebdomadis deficiet hostia, et sacrificium: et erit in templo abominatio desolationis: et usque ad consummationem, et finem perseverabit *desolatio* ».

146. Porro quod prophetia isthaec non respiciat solutionem Judaeorum a captivitate babylonica, sed adventum Messiae tantopere ab illis rogatum, et expectatum, id evidenter per se patet: primo quia jam illam Daniel intellexerat ex libris Jeremiae cap. XXI, et XXIX ut proxime futuram, sicuti, et revera illico facta est in eodem primo et unico anno, quo Darius simul cum suo genero Cyro, occiso Balthassare, Babylone regnavit, ut in exordio dicti cap: Dan: legimus. Secundo Hebdomadas istas intelligi debere de annis, ita ut indicent 490 annos, id convenit inter Hebraeos, Graecos, et nos Latinos. Ergo in ultima Hebdomada, idest post elapsos 483 annos habebitur Dux Christus, *unctus* procul dubio Messias, qui in Hebdomada ultima, postquam confirmaverit pactum, certe inter Deum, et homines docendo, praedicando et mirabilia operando, occidetur; et in dimidio hujus ultimae Hebdomadae, scilicet circa annum 486 deficiet hostia, et Sacrificium, et inde erit in templo abominatio desolationis: et usque ad consumationem, et finem perseverabit desolatio. Sic in eodem cap: IX. Danielis v. 26, et seq: Videamus nunc si cui alteri, praeter Christum nostrum Nazarenum ista convenire possint, ut inde concludamus, Messiam in lege promissum fuisse nostrum Jesum.

147. Duo procul dubio ad id requiruntur determinanda, unde scilicet initium sumendum sit septuaginta Hebdomadum, et num revera in ultima illarum noster Christus coeperit esse Dux populi praedicando, et mirabilia operando, et inde occisus fuerit, et postea defecerit hostia et sacrificium. Quod ad primum attinet, Hebdomadae numerandae non sunt a Divina promissione urbis Hierosolymae restaurandae, quoniam, pluries ista, et quidem valde inter se remotis temporibus, a Deo facta fuit, ut Isaiae cap. XLIV. v. 26. et seq. Jerem: cap: XXVII, et XXIX, Baruch cap. II. v. 24, et tandem Daniel cap. IX. Sed nec sumendum est ex tempore, quo aliquod regium restaurationis edictum factum est, etsi revera inceptum fuerit opus, quoniam et id quoque variis vicibus factum est. Et quidem primo ex fine libri Paral., et initio Esdrae, et cap. IV ejusdem habemus Judaeos ex edicto Cyri reipsa aedificare Hierosolymam, quod et Joseph Hebraeus confirmat lib: XI Antiq: cap. I. Secundo hoc ipsum (Esdrae c. IV. v. 6.) concessum fuit Esdrae a Dario Histaspi. Quinimo et libro 3. ejusdem cap. IV. v. 43 et seq. legitur quod Rex benigne annuit precibus Zorobbobelis, et regio rescripto praecepit reaedificari templum et Hierosolymam, id quod voverat in die natalis sui: quod et refert Josephus lib: V. Antiq· cap. IV, et V. Tertio, hoc ipsum concessum fuit Esdrae (lib: I. Esdrae cap: VII) ab Artaxerxe an: VII. sui regni. Et hoc ipsum certum certissimum est de Nehemia ut constat ex toto libro ipsius, qui est secundus Esdrae.

148. Unde ergo sumendum nobis erit initium septuaginta Hebdomadum? Sane si neque ex quo facta fuit Dei promissio, neque edictum regium ut urbs, et templum reaedificaretur, neque ex quo opus inceptum fuit, quia et id quoque non semel, etiam vivente Rege Cyro, sed absente a regia urbe, et bellum gerente contra Scythas non semel suspensum, et impeditum fuit, maxime insidiis Samaritanorum (lib. I. Esdrae cap: IV. v. ultimo:), non aliunde, inquam, sumen-

dum est, nisi ex quo reipsa opus completum fuit, et solemniter Nehemias celebravit dedicationem et urbis et templi. Et id quidem clarissime evincunt Danielis verba, *Ab exitu sermonis*, idest ex quo *sermo*, edictum, ut *iterum Aedificetur Jerusalem*, complete suum habebit effectum, *usque ad Christum Ducem Hebdomades septem, et Sexaginta duae erunt* etc. Et hic etiam notandum est, quod non dicitur usque ad adventum sive nativitatem Christi, sed *ad Christi Ducem*, quod sane indicat tempus, quo Christus fiet Dux populi praedicando scilicet, et mirabilia operando, id quod sine dubio accidit statim postquam baptizatus fuit a Joanne. Ergo initium septuaginta Hebdemadum sumendum est ex solemni dedicatione Urbis, et templi, quod si 69 Hebdomades, 483. anni, numerentur ex ista dedicatione usque ad Christi baptisum; et Christus ipse occisus fuerit circa post tres annos, ex quo baptizatus fuit, iterum, atque iterum in contradictione dicendi sunt Judaei; et inde vera erit nostra thesis, quod ex scripturis etc.

149. Sed res ita quidem se habet. Etenim ex lib: II. Esdrae cap: II. habemus a Rege Artaxerxe *Longimano* anno XX sui regni factam esse, Nehemiae potestatem proficiscendi Hierosolymam, et reaedificandi civitatem: et Josephus lib: XI Antiq: cap: V. dicit Nehemiam pervenisse Hierosolymam, et murum restaurasse anno XXV ab exordio regni Xerxis patris Artaxerxis, qui teste eodem Josepho anno V. sui regni, impeditus a bello contra Scythas sibi filium Artaxerxem collegam regni assumpsit; et dedicationem urbis, et aencenia celebrata fuisse anno XXVIII ejusdem Artaxerxis, scilicet post tres annos. Ergo ex Josepho urbs restaurata fuit anno XX; ex quo cum Patre simul regnavit Artaxerxes Longimanus, et anno XXIII, nempe post triennium factam fuisse dedicationem, quod idem est ac anno VIII, quo idem Artaxerxes *Longimanus* solus regnavit. Sed annus XXVIII regni Xerxis, XXIII, ex quo Artaxerxes *Longimanus* coepit regnare cum Patre Xerxe, et

VIII, ex quo solus imperavit, ut convenit inter omnes annalium Scriptores, concurrit cum anno IV Olympiadis LXXX, et Urbis Romae 297. Ergo exinde sumi debet initium Septuaginta Hebdomadum.

150. Ast et verum etiam quod 69 Hebdomades, sive 483. anni exinde numerantur usque ad Christi Jesu baptismum. Etenim Christus Jesus, ut habemus Lucae cap. III. v. 23 a Joanne baptizatus fuit, et inde docendo, et mirabilia operando coepit esse Dux populi anno XV Tiberii Caesaris, idest anno tertio Olympiadis 201, Juliani 73, et Romae 780. Ergo subducto calculo habemus 483 annos, sive 69 Hebdomades a dedicatione Jerusalem usque ad Ducem Christum Jesum, sed ex communi traditione, Jesum Christum baptizatum an. xv. Tiberii Caesaris, et secundo Pontii Pilati v. Judaeae Praesidis dati a Tiberio, et xi. Josephi Chaiphae, docendo, praedicando ec. fuisse Ducem Populi, et pactum, idest, novum testamentum confirmasse Deum inter, et homines tribus annis, et aliquot mensibus, et inde crucifixum fuisse per sententiam Pontii Pilati anno v. eiusdem, et Caiphae xiv. (conf. Tirin. cronic. cap. xxxviii, xlii, et xlv.) ergo revera habemus Christi occisionem, et consequenter defectionem hostiae, in medio septuagesimae, et ultimae hebdomadis Danielis: et idcirco semper in contradictione Judaei versantur, et vera nostra thesis, quod ex scripturis est.

151. Sed illud, de quo ipsi Judaei nullum dubium movere possunt, est desolatio maxima, quae post Jesu Nazareni mortem illis obvenit. Jerusalem quippe a Tito Imperatore die sabata 8 Septembris post quinque menses arctissimae obsidionis an. 75. a Christi nativitate, et 42 circiter a morte ipsius, capta, et exusta fuit, et declarata Provincia Romanorum (Tirin. ib. cl. 3.), Judaei non amplius habuerunt nec templum, nec sacrificium, et, quod mirum, nec etiam sub Juliano Apostata infensissimo Christiani nominis hoste; et desolatio firma perseverat, et Iudaei dispersi manent per cunc-

tas nationes. Adducant itaque Judaei alteram personam, cui haec omnia convenire poterunt, et tunc licebit dubitare de adventu Messiae in persona Jesu Christi Nazareni.

152. Sed evanescit omne subterfugium Judaeorum hac super re, cum videmus innumeras alias prophetias, quas item veluti divinas tuentur Judaei, adamussim verificari in persona Christi Jesu. Et quidem Isaias Cap. septimo v. 14. *Dabit Dominus ipse vobis signum: ecce Virgo concipiet, et pariet filium et vocabis nomen ejus Emmanuel.* Et quidem Jesum a Virgine Maria natum adorant Christiani. Michaeas Cap. V. v. 2. praedixit: *Et tu Bethelem Ephrata parvulus es in millibus Juda, ex te mihi egredietur, qui sit Dominus Israel, et egressus ejus ab initio, et a diebus aeternitatis.* Et in Bethelem natus est Jesus, quem ut verbum ab aeterno a Patre genitum, et humana carne in tempore indutum nos Christiani adoramus. David psalmo LXXI v. 10 prophetavit, Messiam natum adoratum iri a Magis: *Reges Tharsis, et insulae munera offerent: Reges Arabum, et Saba dona adducent.* Et revera Magi venientes ab Oriente adoraverunt Puerum Jesum. Jeremias cap. XXXI v. 15. ait: *Vox in excelso audita est lamentationis, luctus, et fletus Rachel plorantis filios suos, et nolentis consolari super eos, quia non sunt.* Et r ipsa in pueritia Jesu Nazareni pueri omnes ab Herode interfecti fuerunt. In Oseae capite XI. scriptum est: *Ex Ægypto vocavi Filium meum.* Et revera in Ægyptum puer Jesus peregrinatus est. Sed quid sigillatim omnes recenseam prophetias, si omnes, quae respiciunt Messiam in Jesu adimpletae fuerunt?

153. Ecquis nescit, ab Isaia quasi historiam descriptam fuisse totius vitae Christi Jesu? Ipse loquitur de praedicatione Joannis cap. XL. *Vox clamantis in deserto: parate viam Domini.* Item de praedicatione, et prodigiis Jesu Christi cap. XXXV. *Tunc aperientur oculi caecorum, et aures surdorum patebunt etc.* Et cap. 1 L. 6. de ignominiis eidem a militi-

bus allatis: *Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus, et conspuentibus in me.* In Threnis cap. XIV. habemus Christi captivitatem: *Spiritus oris nostri Christus Dominus caput est in peccatis nostris. Apud Zachariam cap.* XI v. 12 *habemus quod venditus fuit triginta argenteis: Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos.* In Psal. XXI. praedicitur crucifixio cum omnibus circumstantiis: *Omnes videntes me locuti sunt labiis, et moverunt caput: speravit in Domino, eripiat eum: salvum faciat eum, quoniam vult eum.* Tandem Exodi cap. XII. v. 46 praedicitur transfixio potius, quam ossis fractura: *Nec os illius confringetis.* Si ergo ista omnia, et alia, quae praetermittuntur, adimpleta fuerunt in persona Jesu Nazareni, et si in illius aetate jam advenit Messias, ut demonstratum, et vindicatum est in praecedenti propositione ex Vaticinio Jacob: si eo tempore etiam completae fuerunt hebdomades Danielis, et jam Judaeis verificata est extrema desolatio: et si etiam nullam aliam personam addicere possunt Judaei, in qua suspicari possint Messiam in lege promissum, ecquis non videt, illos in vera contradictione versari, dum suas adorant Scripturas, et interim pervicaces nolunt agnoscere Messiam in Jesu Nazareno, in quo tot prophetiae adimpletae fuerunt? Concludendum igitur etc.

CAPUT IV.

Respuitur Religio Mahumetana.

154. Superfluum quidem videtur, falsam quoque demonstrare Religionem Mahumetanam, quoniam per se patet, quod veris, et innumeris contradictionibus repleta est, et perridiculis fabellis. Sed nihilominus, ut propositus ordo servetur, sit.

PROPOSITIO XX.

Religio Mahumetana prorsus falsa, et perridicula est.

155. *Prob.* Quoniam Religio naturalis a Deo est (35), et Deus, quia perfectissimus, et aeternus, et idcirco immutabilis, nullo modo sibi contradicere potest (114), et propterea nihil potest revelare contra rectam rationem, et legem naturalem (119); ideo falsa est quaecumque Religio, quae vel unum dogma continet naturali legi oppositum (120). Sed plura naturali legi opposita exhibet Religio Mahumetana. Ergo falsa est. *Prob. min.* Et primo, in Religione Mahumetana admittitur indifferentismus, quem in negotio Religionis penitus esse proscribendum, naturali ratione demonstravimus (57). Etenim non solum docet, quemque in sua Religione aeternam salutem assequi posse, dummodo illius servat praecepta; sed etiam, quod vere contradictorium est, docet, Christianos quamvis in sua Religione salventur, id tamen facilius consequi, si rejecta illa Religione, Mahumetanam amplectantur: at non ita Mahumetanos, si rejecta propria, alienam sectentur. Et item docet, magno merito pro vita aeterna fore illis Turcis, qui aut Christianos occidunt, aut ab illis occiduntur in bello: verum ita non esse de Christianis. Ergo si Indifferentismus est contra Religionem naturalem, et naturali rectae rationi opponitur contradictio, dicendum, quod Religio Mahumetana est prorsus falsa.

156. Sed quod longe abhorret a recta ratione, et maxime ab honestate, illud est, soli scilicet Mahumeti permissum fuisse adulterium, et incestum, et cuique licitam esse polygamiam, quae omnino legi naturali opponitur. Tandem, ne plura hac super re nimis ingrata proferam, Mahumetani fatum, quod humanam destruit libertatem, et omne meritum, et demeritum aufert ab humanis actionibus, ita docent, et

tuentur, ut non erubescant dicere, quod qui telo confossus supremum obit diem, illum non a telo interfectum, sed a fato ductum esse ad mortem.

157 *Prob. secundo.* Sed et perridicula est Religio Mahumetana, et prorsus indigna, ut dicatur a Deo revelata. Et quidem quis continebit a risu audiendo, Deiparam Virginem Mariam fuisse sororem Moysis; Christi Jesu fateri Divinitatem, et illius tamen sectatores appellare infideles? Quid magis perridiculum, quam illae Thalmudae fabellae, quibus totus refertus est Alcoranus, de aeterna felicitate in corporalibus deliciis reposita, et praesertim in illis, quae omnino alienae sunt a pudore? De septem paradisis, quorum postremum ab Angelis custodiri; quorum quisque septuaginta millia ora, quodlibet os totidem linguas habeat, et harum quaevis septuagies millies in septuaginta millibus idiomatis, Deum laudet? Quid de luna bifariam a Mahumete divisam? Quid de amoris ejulatibus arboris palmae in illius absentia? Quid de mundorum incredibili numero, et magnitudine, de superbia Eblis, seu Diaboli, qui renuit adorare Adam? Nunquid Deo dignum praeceptum, quod Pseudopropheta a Deo se accepisse dicebat excitandi asseclas ad bellum, et tamdiu armis esse pugnandum, donec aboleatur omnino falsa Religio; verum a bello cessandum, si hostes parati sint ad tributum solvendum, quamvis nolint ipsius Religionem amplecti, ut legitur in Sura IX. v. 30? Dici ne possunt a Deo ista omnia, an potius a mente stulta, ambitiosa, et phrenetica?

158. Dices Religio Mahumetana conflatur ex Religione Hebraeorum, et Christianorum. Sed per vos vera Divina Revelatio erat apud Hebraeos, et vera item, quae est apud vos Christianos. Ergo immerito rejicitur.

R. Etsi Alcoranus sit quid mixtum ex veteris, et novi Foederis doctrina, utramque tamen adeo foedat, et corrumpit, ut nihil magis cum divina doctrina revelata pugnet, quam novus iste perridiculus Religionis codex. Et quidem

totum Christi evangelium, et doctrina, sicut et vetus quoque Testamentum ex verbis ipsius Jesu in his duobus fundatur praeceptis. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo . . . ; et proximum tuum ; sicut teipsum. In his duobus praeceptis tota lex pendet, et prophetae.* Et adeo quidem, ut Christiana doctrina ita evolvat, et firmet verae naturalis Divinae legis, et Religionis dogmata, ut exceptis mysteriis, et mediis vi supernaturali praeditis ad aeternam salutem necessariis, neutra servari possit, quin servetur et alia. Verum quid Alcoranus cum lege naturae, in quo praeter pueriles fabellas, indifferentismus, vindictae, bellum interminabile, bygamia, incestus, fatum, et horrendae spurcitiae praedicantur, commendantur, permittuntur, et tuentur?

159 *Inst.* Atqui Alcoranus ita a Deo est, ut veteris, et novi testamenti libris merito sit praeferendus. Ergo etc. *Prob.* Deus amantissimus Pater Adae revelavit, quae ad humani generis salutem erant necessaria: et quia ex humana imbecillitate lapsu temporis factum est, ut in multis corrupta fuerit Divina Doctrina, et mores depravati, ideo Deus dedit magnum prophetam Moysen, per quem coelestis doctrina erroribus, et superstitionibus expurgata fuit; et mores fuerunt emendati. Iterum eadem de causa Moysis lex mendis repleta fuit, et Israelitae a via salutis jam aberrarunt. Et ecce Deus misit novum prophetam majorem Moysen, Jesum scilicet Nazarenum, qui Divinam Doctrinam a mendis expurgans, suum dedit Evangelium, in quo veteris legis aliqua retinentur, rejiciuntur reliqua. Et quoniam tempus omnia corrumpit, ecce eamdem fortunam subjit doctrina Christi, Evangelium vitiatum est, et depravati fuerunt mores Christianorum. Non cessavit tamen Deus commisereri genus humanum, et alium propterea, et maximum dedit prophetam Mahumetem, qui et vetus, et novum Testamentum vitiis, et mendis expurgavit, et divinum inscripsit Alcoranum. Vides ergo, quod sicut Evan-

gelium anteferendum erat libris veteris Testamenti, ita Alcoranus multum praestat Evangelio.

R. Optima quidem. et rectissima ratiocinatio Mahumetanorum!! Non corrupta fuit doctrina apud Israelitas, quae, quia a Deo erat, eadem temper fuit, neque interpolati fuerunt libri, qui illam continebant, sed hominum dumtaxat, verum non omnium mores vitiosi facti fuerunt. Caeterum plura, quae in veteri testamento praecepta erant, respiciebant novam legem Gratiae, quam daturus esset Messias, et idcirco adventu hujus cessare debebant, uti sunt praesertim Sacramenta, quae erant figurae Sacramentorum novae legis. Sed quid Mahumetes cum Christo Jesu? Quid Alcoranus cum Evangelio? Nunquid alter Messias, et Redemptor expectandus erat? Nunquid ad tempus doctrina Evangelica? Mahumetes ipse fatetur Dei prophetam fuisse Moysen, et a Deo etiam missum fuisse Christum Jesum. Ergo divina fuit utriusque doctrina, licet ipsa, ut delirat Mahumetes, decursu temporis corrupta fuerit ab illorum sectatoribus. Sed libri veteris testamenti integri adhuc manserunt in adventu alterius prophetae Christi, alioquin iste aut omnino rejecisset, aut emendasset, et ipsi non de duobus, sed de uno tantum Messia loquuntur. Et item Evangelium doctrina divina alterius prophetae Christi, nullam mentionem facit de adventu alterius prophetae, sed asseveranter, et praecisis verbis dicit, hujusmodi doctrinam duraturam esse usque ad consummationem saeculorum. Ergo sycophanta est tertius propheta Mahumetes, aut saltem Antichristus homo peccati, qui futurus praedicitur a Christo prope finem mundi.

160 Sed mores Christianorum corrupti facti sunt? Mon negamus. Sed doctrina Evangelica eadem semper fuit, eademque erit semper. Ergo mores tantum emendari debebant, non autem Evangelium. Sed quae temeritas conferre scelestissimum imbostorem, incestuosum, adulterum, et quantum ambitiosum, tantum stupidum Mahumetem, cum sanctissimo, et

purissimo, ac divina sapientia praedito Jesu Nazareno? Quae arrogantia conferre, imo anteferre, doctrinam Alcorani, quae totam destruit Divinam naturae legem, cum Doctrina Evangelica, quae pura et vera praecepta naturae evolvit, declarat, confirmat? Sed pudet longius refellere ista non minus temeraria, quam impia, quae objiciuntur.

CAPUT V.

Asseritur, et vindicatur Veritas Religionis Christianae.

161. Ex dictis, et demonstratis, veluti pro legitimo corollario sequitur, solam Christianorum Religionem veram, et Divinam esse, et quidem in omni sua parte. Porro si una ex quatuor Religionibus, quae existunt, ceaterae falsae demonstratae sunt, necessario Christiana, quae remanet, vera esse debet. Sed quoniam ad id unicum intenti sunt labores nostri; idcirco omnibus argumentis, et omni studio, et conatu, hanc studemus demonstrare veritatem, et quidem tam directe, quam indirecte. Sit itaque primo ab exclusione partium.

PROPOSITIO XXI.

Ex falsitate caeterarum Religionum legitime sequitur Doctrinam Religionis Christianae veram esse, et a Deo revelatam.

162. *Demonst.* Divinam Revelationem nedum necessariam esse, sed revera existere jam demonstratum, et vindicatum est (85 et 109). Sed Religiones existentes ad quatuor reducuntur, nempe ad Paganam, Judaicam, Mahumentanam, et Christianam. Ergo fieri non potest, ut una ex his non sit vere a Deo revelata. Sed Pagana est evidenter falsa (124); Judaica nunc in contradictione versatur, quia adhuc expectat Messiam qui ex Vaticinio Jacob jam advenit a tempore usque

Jesu Nazareni (132): quinimo fuit ipse Jesus a Judaeis crucifixus (143); et Mahumetana prorsus falsa est, et perridicula (150). Ergo si jam existit vera Religio divina Revelatione innixa, ipsa est procul dubitatione Religio Christianorum. Etenim si vera, et legitima consequentia ducitur ex completa exclusione partium, cur non item recta nostra illatio, si certum est, jam existere Doctrinam revelatam, et vere Divinam Religlionem, et praeter Christianam, quamvis aliam falsam esse, quia omnes praecepta, et dogmata docent evidenter contra legem, et Religionem naturalem, contra quam nihil Deus revelare potest ? (119). Concludendum igitur etc.

Solvuntur objectiones.

163. *Ob.* Magis quam caeterae Religiones, quas existimas falsas demonstrasse, contra rectam rationem, et Religionem naturalem, sua dogmata docet Religio Christianorum. Sed Religio, quae hujusmodi dogmata docet, inter partes excludendas referri debet. Ergo ex argumentatione per exclusionem partium nihil concludi fas est in favorem Religionis Christianae. *Prob. min.* Princeps dogma, cui tota innitur Religio Christianorum, est, Deum factum esse hominem. Sed hoc intrinsecus pugnat. Ergo etc.

℟. *Dist. maj.* Princeps etc. hoc est ex Deo mutatum, et conversum fuisse in hominem, *neg.*, assumpsisse humanitatem in unitate personae, quin in nihilo mutatus sit Deus, *conc. maj.* Et contra distincta *min. neg. cons.* Cum Christiani credunt, adorant, et profitentur Incarnationem Verbi Divini, non intelligunt, ipsum Divinum Verbum mutatum fuisse in hominem, sed assumpsisse ad se humanam naturam. Id sic factum Christiani credunt. Ex communi lege naturali ex unione animae cum corpore fit persona humana. Suspendit Deus hanc legem, et efficit, ut sicut nec anima sine corpore, nec corpus sine anima efficit personam, sic in subjecto

Christo Jesu anima humana etiam cum corpore conjuncta personam non efficeret. Nunquid dicemus, id excedere Dei omnipotentiam? Sed quis ignorat, naturae leges pendere ex Divina voluntate? Verum exsufflant contradictionem Schotistae, qui personalitatem reponunt non solum in esse rationale, sed in incommunicabilitate naturae rationalis. Et quidem substantia Angelica, quamvis simplex, et sola, sine unione alterius substantiae, quia ex Dei voluntate terminata est, et non dicit unionem, ipsa constituit personam; sed nullus dixerit personam animam humanam quamvis rationalem, si consideretur separata a corpore, quia ex eadem Dei voluntate per se terminata non est, sed dicit unionem cum corpore. Ergo personalitas reposita est in incommunicabilitate naturae rationalis. Sed ecquis dubitare poterit, quin Deus efficere possit, ut anima unita jam cum corpore, dicat tamen ulteriorem unionem cum alia substantia, scilicet non sit completum suppositum, sed communicabile? Sed quid tunc fiet? Procul dubio prima unio, et primum suppositum, non erit persona; sed persona fiet, cum postrema unio perficietur. Hoc itaque credunt Christiani factum fuisse in humanitate Christi. Suspendit Deus suam legem naturalem; et sic humana natura, quae communiter completa est, in Christo dixit unionem cum Divino Verbo, ut inde haberetur personalitas. Et exinde quoque patet, cur non duplex, sed unica persona fuit in Christo, licet duplex fuerit natura, Divina scilicet et humana. *Sicut anima rationalis, et caro unus est homo: ita Deus, et homo unus est Christus.* Sed suo loco fusius. Nunc sufficiunt quae diximus, ut penitus disperеat contradictio.

164. *C.* Atqui absolute repugnat, non solum Deum mutari in hominem, sed etiam in unitate personae assumere humanitatem. Ergo etc. *Prob.* Ex quo Christiani credunt, et confitentur, Deum in unitate personae assumpsisse humanam naturam, dicunt quoque, et credunt, Deum natum,

passum, et mortuum esse. Sed haec impia prorsus sunt, et absurda. Ergo etc.

℟. *Dist. maj.* Ex quo etc. dicunt quoque, et credunt, Deum natum, passum, et mortuum esse in se, et in sua Natura Divina, *nego maj.*; in natura humana, quam asssumpsit, *conc.* Et contra distincta *min.*, negatur *cons.* Quia persona Divini Verbi assumpsit humanitatem, et ea quidem ratione, ut in Jesu Christo non duplex, sed una fuerit persona, idcirco idem Christus respectu Verbi vere fuit Deus, et verus quoque fuit homo. Ergo si de Christo, cujus una est persona, vere dicitur, quod natus, passus, et mortuus est, recte dicitur quoque, Divinum Verbum incarnatum, passum, et mortuum. Verum non in eo sensu, ut haec vel minimum locum habuerit in Natura, sive substantia Divina, sed quia revera acciderunt in humanitate a Divino Verbo assumpta in unitate personae.

Itaque dogma Christianorum est, in Christo non fuisse confusas Naturam Divinam, et humanam, neque permixtas, sed distinctas permansisse unamquamque cum suis proprietatibus, et affectionibus peculiaribus, exceptis tamen aliquibus, quae vi hypostaticae unionis, recte de utraque praedicantur, ut suo loco dicetur. Exemplum habemus ex homine. Quamvis enim ipse constat ex anima, et corpore; tamen ex hac unione non confunduntur substantiae, sed quaeque integra manet, cum suis propriis affectionibus, exceptis tamen aliquibus, quae suam ducentes originem ab unione, de utraque merito dicuntur. Itaque, paucis verbis, vere Christus, qui simul est Deus, et homo, natus, passus, et mortuus est, sed haec omnia respectu humanitatis assumptae, non vero Divini Verbi illam assumentis.

165. *C.* Atqui licet concedatur (quod quidem audiri, non autem intelligi potest), Divinum Verbum non in se, sed solum in assumpta humanitate, natum, passum, et mortuum esse ; tamen absolute repugnat, Deum ejusmodi ratione as-

sumpsisse humanitatem. Ergo etc. *Prob.* Profecto Deus non semper ab aeternitate assumpsit humanam naturam, bene quidem in tempore, et adeo quidem, ut Christiani numerent annos, ex quo assumpsit. Ergo Deus a non assumente humanam naturam factus est assumens, scilicet mutatus est. Sed id absolute repugnat cum infinitis Dei perfectionibus, et maxime cum Æternitate, quae definitur *Interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio.* Ergo etc.

R. *Negando illationem majoris.* Hoc argumentum quia nimis probat, ideo nihil concludit. Profecto si repugnat Divini Verbi Incarnatio, quia in tempore, et quia secus Deus mutatus esset, quoniam a non assumente factus esset assumens, aeque certe repugnans esset mundi creatio, et quidem in tempore, quia similiter Deus a non Creatore ab aeterno, factus esset Creator in tempore; Ergo dicendum vel non existere mundum vel existere a se, et esse increatum, vel creatum fuisse ab aeterno. Primum evidenter falsum est, quia etsi cum veris Pyrronistis in dubium revocare vellem realem existentiam cujusque rei, nullimode tamen dubia mihi esse potest propria existentia, tametsi nesciam quomodo existo. Alterum aeque evidenter falsum est: nam secus ego essem a me, dum tamen nescio quomodo sum, essem ab aeterno, essem indipendens, plenitudine gauderem existentiae, et essem quoque perfectissimus; quae omnia philosophi recte deducunt *ab esse a se.* Et postremum implicat in terminis. Etenim creatio pro certo ponit, creaturam ex nihilo existentiae transisse ad esse. Sed creatio ab aeterno dicit, creaturam semper fuisse, quia aeternitas non habet initium, et caret successione; ut adversarii ipsi fatentur. Ergo si aliquando non fuisse et semper fuisse, veram dicit contradictionem, quomodo concipi poterit mundi creatio ab aeterno? Igitur, quae respondebunt adversarii nostrae ratiocinationi, eadem responsa sint ipsis, dum ex immutabilitate, et Æter-

nitate Dei deducere nituntur repugnantiam Incarnationis Divini Verbi in tempore.

166. Verum si nesciunt ipsi quid nobis respondere possint, directe tamen nos respondemus ipsis. Admittimus ergo definitionem aeternitatis, quod scilicet sit *Interminabilis vitae tota simul, et perfecta possessio.* Ipsa igitur dumtaxat convenit Enti perfectissimo, quod solum, quia omnino immutabile, nullam agnoscere potest mutationem nec status, nec temporis quod consistit in successione; et idcirco totam simul, et perfectam possessionem habet suae vitae interminabilis: et sicut Æternitas essentialiter unita est cum Ente perfectissimo, ita contra tempus, idest successio, necessario conjungitur cum ente finito: et adeo quidem, ut non solum repugnet, ens istud esse aeternum, sed etiam ullo modo posse concipere ideam positivam aeternitatis, sed tantum negativam.

Sed quid inde? Omnia in Deo sunt in actu, non datur ex parte ipsius nec prius, nec posterius, nec praeteritum, nec futurum, sed tantum praesens, ex quo Theologi Christiani illum appellant purissimum actum. Ergo ex parte sui Deus nihil fecit, et nihil faciet, sed omnia facit in actu. Ergo respectu Dei Incarnatio semper est: et idcirco falsum, quod a non assumente humanam naturam, factus sit assumens. Sed ex parte nostra, quia esse non pussumus sine successione et tempore, omnes Dei operationes, quas Theologi vocant *ad extra*, quae scilicet habent pro termino creaturas, cujusmodi est etiam Divini Verbi Incarnatio, omnes successive, hoc est in tempore, factae sunt, fiunt, et fient: Quapropter ex parte nostra revera Deus ex non assumente humanam naturam videtur factus assumens. Mutatio ergo habetur ex parte nostra, non autem ex parte Dei. Incomprehensibilia haec sunt, quia repugnat nobis idea positiva aeternitatis. Sed de iis tamen non licet dubitare, quin ita sint, quia quamvis apocogice, evidenter tamen naturali ratione demonstrantur.

167. *Ob. secundo.* Religio Christiana docet, Dei Verbum humanam naturam assumpsisse, ut plene sic fieret satis Divinae Justitiae pro injuriis illi allatis ab hominibus. Sed id nedum stranum, sed inutile prorsus, et perridiculum videtur. Ergo inter caeteras a vobis exclusas, numerari quoque debet Religio Christianorum. *Prob. min.* Vanum, et perridiculum est per hujusmodi incarnationem Deum non solum vere indui vili humanitate, sed etiam rea, ut a condigna poena, et sui ira salvus fieret homo, si ex se, sine hujusmodi operatione, id efficere potuisset. Sed utique facere potuisset. Ergo etc.

℟. *Dist. maj.* Vanum etc. ex potentia ordinaria, scilicet habito respectu ad alias suas essentiales proprietates, *conc.* non habito respectu ad easdem, *nego maj.* Et contra distincta *min. neg. cons.* Æque ac misericors, justissimus est Deus. Quinimo cum purissimus sit actus, nullam veram distinctionem (exceptis relationibus operationum *ad intra*) agnoscens inter suas perfectiones, ita ut quaevis illarum, quae a nobis distincta concipitur, sit ipse Deus; inde sequitur, ut nequeat Deus ex potentia ordinaria ita suam exercere Misericordiam, ut integra, et salva non remaneat Justitia. Sed justitiae nullatenus satisfieri poterat ab homine finito, propter infinitam injuriam, quam peccando Deo attulerat. Ergo praeter spem salutis absolute erat homo. Quid Deus? En miraculum infinitae Sapientiae, et Bonitatis illius! Novit invenire medium exercendi Misericordiam, et simul plene satisfaciendi suae Justitiae. Assumpsit humanam naturam in unitate personae, ut sic idem subjectum Christus, ut homo pati posset, et mortem quoque subire, et ut Deus esse posset capax infinitis meritis pro plena satisfactione hominum. Quomodo ergo vanum, et perridiculum mysterium Incarnationis Divini Verbi? Quinimo actus infinitae Sapientiae est, actus inconcipibilis, et ineffabilis Misericordiae.

168. *C.* Inutile subterfugium! Atqui etiam si detur Deum

absolute misericordiam exercere non posse quin suae Justitiae faciat satis, tamen, imo multo magis, vanum, et inutile est Mysterium Incarnationis. Ergo etc. *Prob. Min. sub.* Per Mysterium Incarnationis Christus, juxta doctrinam Chriastianorum homo Deus, vel satisfecit Divinae Justitiae, ut homo, vel satisfecit ut Deus, etenim secundum eamdem doctrinam utraque natura integra permansit, neque commixtae fuerunt. Sed non ut homo, quia hoc respectu Christus fuit creatura, et idcirco finitus, et consequenter incapax meriti infiniti: Sed nec ut Deus, secus ipse Deus pro homine sibi satisfecisset, quo nihil magis perridiculum, et inutile. Ergo etc.

℟. Manifestum sophisma! Vitiosum Dilemma! Itaque negando majorem respondemus, quod Christus neque simpliciter ut homo, neque simpliciter ut Deus, satisfecit Divinae Justitiae, bene vero satisfecit ut Christus, scilicet ut homo Deus. Quippe in Christo unica fuit persona, et haec neque tertia resultans ex humana, et Divina Natura, neque humana, sed persona Divini Verbi, quae ad se assumpsit naturam humanam. Quomodo ita, et non aliter fieri debuit, ut scilicet neque persona humana, neque tertia locum habuerit in Christo Deo et homine, id videbimus, cum sermo erit de hoc Divino Mysterio. Haec certe sufficiunt ad exsufflanda, quae objiciuntur. Unum tamen dicimus. Repugnat ut in uno subjecto duplex sit persona. Ergo unica persona esse potuit in Christo. Non potuit esse persona humana, quia ratio personae requirit ut sit incommunicabilis, et humanitas de facto communicata, sive assumpta fuit a Divino Verbo. Contra in Deo cum omnia sint necessaria, persona Verbi nullimode cessare potest, et necessario semper est talis; idcirco in Christo fuit sola persona Divina.

Ex dictis sequitur, quod sicut totius hominis sunt operationes utriusque substantiae, quibus homo conflatur, ita unius, et totius Christi fuerunt proprietates divinae, et humanae, licet impermixtae, et non confusae in ipso fuerint natura

Divina, et humana. Ergo sicut juxta nobilitatem animae homo dignus est merito pro actionibus corporis, ita Christus juxta infinitam nobilitatem Divini Verbi, fuit meritorum capax pro doloribus, et morte, quam perpessus fuit in humanitate. Vitiosum ergo adversariorum Dilemma, quia adest tertium medium, quod scilicet Christus neque ut solus Deus, neque ut solus homo, satisfecit Divinae Justitiae, sed ut Christus, idest ut homo assumptus a Divino Verbo in unitate Personae Divinae.

169. *C.* Atqui vanum prorsus est dicere, Christum passum fuisse, ut hominem, et promeruisse, ut Deum. Ergo etc. *Prob.* Christum pati, ut hominem, et promerere, ut Deum, idem est, ac dicere, Infinitam virtutem Divinam elevasse ad valorem, et meritum infinitum, operationes per se finitas infirmae humanitatis. Sed hoc vanum, et absurdum est. Vanum, quia sic, quin Divinum Verbum assumeret humanam naturam in unitate personae, potuisset ad infinitum valorem, et meritum actiones elevare cujusque individui humani generis; absurdum, quia nequit Deus cum sua Omnipotentia efficere, ut quod per se finitum est, evadat infinitum. Ergo etc.

℟. *Neg. min.* Ad cujus prioris partis probationem dicimus, quod aliud est extollere ad valorem infinitum actiones cujuscumque hominis, et aliud extollere actiones humanitatis a seipso Deo in unitate personae assumptae. Etenim illuc elevaret ad meritum infinitum actiones personae alienae, et finitae, et hic elevat actiones Christi, qui licet Deus, et homo sit, ejus tamen persona est Divina, et propterea infinita. Itaque cum ejusdem Christi sint operationes humanitatis, et operationes Divinitatis, ipse potuit pati ut homo, et promerere ut Deus, quia meritum metitur a dignitate personae.

Ad secundum dicimus, quod non potest quidem Deus, quamvis omnipotens efficere, ut quod per se finitum sit, evadat infinitum: Sed id intelligendum est de ente substan-

tiali, non vero morali tantum. Et re quidem vera, nonne adversarii ipsi dicunt injurias ab hominibus Deo illatas esse malitiae infinitae? Et merito quidem, quia malitia actionis metitur ratione directa a dignitate personae, cui injuria affertur, et ratione inversa dignitatis illius, qui affert. Eccur itaque repugnat eodem in sensu dicere virtutis, et meriti infiniti operationes, et maxime passionem et mortem Christi, qui in unitate personae, et quidem Divini Verbi, Deus, et homo est? Si Christus, ut homo potuit pati, et mori, cur idem, ut Deus, actiones non efficiet meriti infiniti, maxime cum persona, cui actiones omnes subjecti referuntur, sit Divina? Concludendum igitur etc.

170. *Dices.* Nequeunt de eadem individuali persona vera contradictoria praedicari. Sed admissa Incarnatione Dei, vera contradictoria dicerentur de una, et eadem individuali persona Christi, quod scilicet Deus et creator fuerit, et simul homo et Creatura. Ergo ab solute repugnat Dei Incarnatio: et propterea falsa dicenda est Religio Christianorum, quae hujusmodi contradictoria docet.

℞. *Nequeunt* etc. in eodem respectu considerata, *conc.* considerata sub respectu diverso, et opposito, *neg. maj.* Et contradistincta *min. neg. cons.* Utique repugnat, contradictoria praedicari de uno, et eodem subjecto, et quoad eumdem respectum considerato, quia sic idem simul esset, et non esset. Ast Christus in dogmate Incarnationis Chsistianorum, vere dicitur, et est, Deus, et Creator respectu Divinitatis, quae humanam naturam assumpsit, et verus quoque homo, et creatura respectu humanitatis assumptae. Ergo de eodem Christo non sub eodem, sed sub diverso, et opposito respectu, opposita praedicantur: et idcirco nulla habetur contradictio.

Et re quidem vera, nonne idem homo persona individualis, quia anima spirituali constat, et corpore, vere dicitur habere proprietates et spiritus, et corporis, quae vere inter se

contradictoriae sunt? Nonne recte dicitur et mortalis quoad corpus, et immortalis quoad animam? Ergo nulla pariter habetur contradictio, si idem, unus Christus dicatur Deus et Creator respectu Divinitatis, et simul homo et creatura respectu humanitatis.

171. Instant adhuc adversarii. In Religione Christianorum multa, et vera repugnatia docentur. Ergo si falsa existimanda est Religio, quae ejusmodi ab surda docet, inter falsas pariter recensenda est Christiana Religio. *Prob. ant.* Et primo: Christiani credunt, Christum redivivum in Coenaculum ingressum fuisse, clausis januis: item, illius corpus exivisse de sepulchro clauso, et obsignato. Sed haec absolute repugnant, quia hoc in casu Christi corpus spoliatum fuisset impenetrabilitate, quae corporis essentiam constituit, vel saltem illius est attributum essentiale.

Secundo, credunt veram transubstantiationem panis, et vini in verum corpus, et sanguinem Christi, quod evidenter falsum, et repugnans est. Falsum, quia post Consecrationem nihilominus constanter panem, et vinum omnibus sensibus experimur. Repugnans, quoniam, Christiani respondent, permanere adhuc panis, et vini accidentia. Quid ista accidentia? Nunquid proprietates formaliter, ut dicunt Scholastici, insunt rebus, et ita quidem, ut sint entia substantialia, quae sine subjecto, cui inhaereant, possunt per se existere? Opposita sunt ista omnia rectae rationi: et propterea a Deo revelari non potuerunt.

℟. *Neg. ant.* Ad cujus priorem probationem concedimus utique, ens expoliari non posse sua essentia, nec item privari suis attributis, quae in essentia rationem habent sufficientem: secus enim ens esset simul, et non esset id, quod est, quia essentia dicitur illa, quae ens constituit in suo esse. Verum quoad impenetrabilitatem, concedimus quidem, illam esse attributum essentiale corporis abstracti, sive speciei, ast non item corporis individui. Ratio illius est, quia

essentialiter ipsa continetur in idea corporis, quam mens efformat, et ita quidem, ut ablata impenetrabilitate, destruatur in nostra mente idea corporis. Ratio alterius est, quia ex Adversariis ipsis essentiae substantiarum sunt nobis omnino incompertae. Et merito quidem, quia proprietates, cujuscumque generis ipsae sint, quas individuis substantiis tribuimus, non illis formaliter inhaerent, et a quibus, veluti imagines substantiales evolent in nostram mentem, veluti nonnulli philosophi somniarunt, sed sunt simplices ipsius mentis modificationes, licet suam originem habeant ab exterioribus objectis. Res ita se habet.

172. Objecta sive mediate, sive immediate agunt in nostra organa sensoria exteriora, et in illis irritationem producunt (1). Irritatio isthaec excitat in fluido nervoso, vel si placet, in nervis ipsis, proportionatum motum. Motus iste mutationem inducit in fibriculis cerebri. Et mens tandem juxta hujusmodi mutationem suas efformat ideas. Nunquid actio objectorum est idem, ac irritatio in exterioribus organis sensoriis; irritatio idem, ac motus fluidi; motus fluidi idem, ac mutatio in cerebro; et haec idem ac idea, quam anima efformat? Ast cur istiusmodi series causarum, et effectuum? Quippe ex libera Dei voluntate, cui sic placuit ordinare naturae leges. Ergo physicae proprietates rebus corporeis conveniunt ratione systematis. Ergo suspendi ab ipso Deo possunt. Ergo corpora existere possunt, quin enumerata series effectuum habeatur: et consequenter suis proprietatibus actu orbata, quia non formaliter istae in illis continentur, nec intrinsecam ipsorum essentiam constituunt. Ergo potuit Deus suspendere hanc le-

(1) Mediate quidem per aerem, qui a corporibus concitatus defertur ad aures; et per lucem, quae reflexa a corporibus defertur ad oculos. Et immediate per contactum, si tamen datur verus contactus, vel in quavis parte nostri corporis, et ex illorum tenuissimis particulis in naribus, aut in organo gustus.

gem vel in januis Coenaculi, et in lapide Sepulchri, vel potius in corpore Christi, et sic vel illa vel istud actu fuit sine impenetrabilitate. Magnum quippe miraculum, quia princeps physica lex suspensa fuit! Sed quis negabit Deo virtutem miraculorum? Ergo nulla vera repugnatia docet Christiana Religio, respectu prioris partis objectionis.

173. Dixi, impenetrabilitatem, sicut et caeteras physicas proprietates non constituere veram intrinsecam essentiam corporum individuorum, substantiarum scilicet existentium, sed solum corporis in genere, sive ut est species. Et quidem species non vere existit, sed est idea abstracta a mente formata componendo in unum aliquas ideas, quas communes reperit pluribus individuis. Ergo illius essentia est in numero, et natura proprietatum, quae simul unitae concipiuntur. Sed in idea speciei corporis princeps forsan proprietas est impenetrabilitas, adeo ut ipsa ablata, destruatur in mente idea corporis physici. Merito igitur ipsa habetur, ut attributum essentiale ejusdem corporis, ut est species.

174. Ex dictis late patet responsio ad aliud etiam veluti repugnans in objectione allatum. Quippe in Dei potentia est, ut ad verba consecrationis desinat esse substantia panis, et vini, et illius vicem teneat Christi Corpus, et Sanguis. Sed nihilominus persistit sensus panis, et vini! Quid inde vere repugnans? Nunquid non potest Deus efficere, ut persistat eadem actio, quae antea fiebat in organis sensoriis, eadem irritatio in iisdem, et in cerebro eadem mutatio, quae ante consecrationem fiebat ab actione panis, et vini? Sed cur non habetur sensatio corporis, et sanguinis Christi? Respondemus, quia non vult Deus, ut agant in nostra organa sensoria; aut si agant, non vult, ut illorum actio sentiatur.

175. Persistunt adversarii. Quia Religio naturalis est a Deo, qui sibi contradicere nequit, ideo ipse non potest per Revelationem praecipere, quae in Religione naturali prohibentur, et contra. Sed in Religione Christianorum multa prae-

cipiuntur contra legem naturalem. Ergo inter falsas ipsa adscribenda est. *Prob. min.* Lex naturalis, sicut et positiva Hebraeorum, jubet, praecipuo amore, et observantia prosequendos parentes. Et tamen Christus praecepit et parentes, et fratres, et sorores, et etiam conjugem deserendam esse ab illis, qui suam doctrinam velint sequi. Quinimo prohibuit etiam uni ex suis discipulis praestare sepulturae officium suo patri (Matth. cap. VIII. v. 22). Item contestatus est, se non venisse mittere pacem, sed bellum, venisse separare filium a Patre, et virum ab uxore, id quod horrenda blaspemia est in lege naturae. Rursus, lex naturae praecipit promoveri nostram perfectionem et animae, et corporis. Et Christus praecepit, nullam curam de nobis habendam, nec de cibis, nec de vestitu, et nec quidem cogitare de crastino, quasi cum simus ratione praediti, cujus praecipue est, ut ait Cicero, praevidere futurum, vivere debeamus more pecudum. Et caetera similia.

℞. *Neg. min.* Ad cujus probationem dicimus, quod totum Evangelium, totaque Christi lex legenda, et perpendenda est, ut veram illius sententiam assequi possimus, sicut hermaneuticae leges praescribunt; non vero separatim atquae peculiares enunciationes. Si ita fecissent Adversarii, procul dubitatione vidissent, quod tota Christi lex nihil aliud est, si mysteria excipias, nisi ipsa lex naturae in sua puritate, et vero sensu. Vidissent, illius summam in his duobus praeceptis positam esse *Diliges Deum tuum ex toto corde tuo, et proximum tuum sicut teipsum*; in quorum altero profecto principem locum habent parentes.

176. Sed ut aliqua respondeamus ad illa, quae objiciuntur, primo dicimus, parentes, et caeteros caros deserendos esse vel ex praecepto, vel ex consilio, primo cum impedimento sunt, quominus servemus praeceptum diligendi Deum super omnia, quod certo est primum praeceptum legis naturae. Secundo, cum illi nostro auxilio non indigent, et nos sequi amamus sublimiorem perfectionem. Nulla ergo inde op-

positio legis Evangelicae cum lege naturali; quinimo potius recte isthaec ab illa explicatur, et determinatur, quoniam quae obbligationes, et officia, et in quibus circumstantiis, aliis praeferenda sint, docet.

Quod si Christus filio prohibuit sepelire patrem defunctum, id fecit ex motivo nobiliori, ne scilicet ille occasionem amitteret sequendi se aeternam veritatem, et quia etiam non deerant, qui defunctum sepelirent: illico enim addidit. *Dimitte, mortuos sepelire mortuos suos.*

Dixit autem, se non venisse mittere pacem, sed gladium, non quidem directe, quasi hic fuerit verus finis adventus ejus; sed indirecte, scilicet, ex observantia suae doctrinae naturaliter oriri, et excitari dissentiones, quoniam illi vero amplecti vellent, in datis circumstantiis, et parentes, et filios, et bona etiam relinquere debebant, et in persecutione, una cum direptione bonorum, et separatione a suis, pati saevos cruciatus, et mortem.

Tandem cum dicit, curam non habendam esse de rebus hujus mundi, reprobat tantummodo sollicitudinem immoderatam, quae non decet hominem, qui peregrinus est in hoc mundo, et patriam quaerit Coelestem. Loquitur ergo comparative, et exprobando diffidentiam et commendat spem, et fiduciam in Dei summa providentia, qui etiam volatilia, et erbas eleganter vestit, et nutrit. Caeterum ista omnia non sunt vera praecepta, sed potius consilia. Concludendum igitur etc.

PROPOSITIO XXII.

Ex miraculis, qnae a Jesu Christo patrata fuerunt in confirmationem suae doctrinae, nec non a Discipulis ejus, invictissime demonstratur veram, et Divinam esse Religionem Christianorum.

177. *Prob.* Miracula sunt immediate a Deo; sunt enim operationes vel contrá vel supra naturae leges, quae solus

Deus suspendere, et etiam immutare potest. Sed Deus, quia est ipsa veritas, nullimode nec per se, nec per alios, nec directe, nec indirecte mentiri, vel falsum confimare potest. Ergo doctrina, quae veris miraculis confirmata est, vera, et divina habenda est. Sed Christiana religio innumeris, et stupendissimis miraculis fuit confirmata, et quidem non solum ab illius auctore Jesu, sed etiam ab Apostolis discipulis ejus, et deinceps omni tempore a Sectatoribus ejusdem, maxime ab illis, qui pro ejus confessione sanguinem, et vitam dederunt. Ergo etc. *Prob. min.* Res ita se habet, si nullimode dubitari possit de prodigiis, quae de Christo, et de aliis enarrantur, scilicet de tot mortuis ad vitam revocatis, de aqua in vinum conversa, de cibo ita multiplicato, ut de quinque panibus, postquam saturati fuerint quatuor millia hominum praeter parvulos, et mulieres, quod superfuit, impleverunt septem sportas, de sanitate illico reddita, sine ullo naturali remedio, et super omnia de resurrectione Christi etc. Sed quomodo poterit dubitari, si palam ista omnia facta sunt, et etiam coram illis, qui non solum Christi doctrinae non credebant, sed erant quoque infensissimi hostes et Christi, et discipulorum ejus? Nonne Magistratus agnoscebant caecum natum, et postea viderunt Cum visu restituto? Non erant ipsi Christi inimici? Cur ergo non declaraverunt imposturam, si hujusmodi factum non fuisset verum? Si Pontifices dubitare potuissent de resurrectione Christi, quem ipsi fecerunt crucifigere, quomodo in judicium non vocarunt milites, quos ipsi a Praeside impetraverant, ut tuto custodirent Sepulchrum ad cavendam fraudem Discipulorum? Profecto de summo negotio tunc agebatur, et maxime suam intererat detegere imposturam, et invenire veritatem: cur ergo omnem curam non adhibuerunt, ut corpus furtim sublatum, et malitiose absconditum, inveniretur? Cur minas, et vim propterea non exercuerunt contra Discipulos, et praesertim contra imbecilles mulieres, quae primae praedicaverunt Chri-

sti Resurrectionem, ut compositam fraudem confiterentur? Ast contra maximo silentio usi sunt, nullum rumorem fecerunt. Cur ergo? Procul dubio, quia jam de veritate prorsus illis erat persuasum.

178. Pudet quidem plura hac super se proferre, quia evidentissime adsunt omnes characteres pro historica veritate. Hic adest vera simplicitas narrantium, contra nullum bonum, et commodum ipsis in hujusmodi narratione; quinimo omne malum, et etiam ad mortem usque persecutio: habemus testimonium immensae multitudinis, et etiam inimicorum, qui perfecte omnia noverant. Quomodo ergo tanta temeritas, et stupida audacia in illis, qui omnia ista simplicissimo stylo scriptis mandarunt, ut vel decipi potuerint, vel nos voluerint decipere?

179. Sed, quod omne prorsus dubitandi motivum aufert, est silentium Judaeorum. Profecto diligentissimi semper fuerunt Hebraei in texenda historia suae nationis, praesertim de illis, quae Religionem spectabant. Cur ergo cum viderent, quod pauci Christi sectatores jam totam evertebant patriam Religionem, et prodigiis multos convertebant ad Christum, non conati sunt et voce et scriptis, et omni alia ratione, detegere, et manifestam facere imposturam? Quod si non contenti Christi discipuli voce tantum praedicare evangelicam Doctrinam, sed una cum illa innumera quoque prodigia, scriptis mandarunt, quare nullus, maxime ex Sacerdotibus, contra illos insurrexit? Nunquid occulta esse potuerunt scripta Matthaei, Lucae, Joannis, Marci, Petri, Jacobi, Judae, et maxime tot epistolae scriptae non solum ad privatos, sed etiam ad plures nationes, et ad ipsos Hebraeos quoque? Quis inter tot infensissimos Christi nominis hostes falsa demonstravit stupenda prodigia relata in Evangelio, et in actis Apostolorum? Qui timor, quae prudentia, quae alia causa potuit omnes in silentio continere, praeter illam, quod publica erant fa-

cta, et omnibus nota, et eadem negare, aut refellere, idem erat ac confirmare?

180. Unus fuit Flavius Josephus, qui pro integritate suae historiae nonnulla de Jesu Nazareno scripsit. Ast si non dicit, illum fuisse Messiam in lege promissum, non vocat tamen impium, et impostorem, quinimo fatetur, fuisse hominem singularem, et mira prodigia fuisse operatum. Sed quid inde fas est deduci? Magnum sane argumentum de veritate omnium, quae in libris Apostolorum de Christo narrantur. Etenim, nonne princeps officium historici est refutare, quae falsa ab aliis narrantur, maxime si mira illa sint, et ad finem suae historiae pertinent? Cur ergo manifeste, et ex proposito tam insignis Historicus falsa non declaravit prodigia Christi, et discipulorum, quae praesertim narrantur in Evangelio, et actibus Apostolorum? De re agebatur maximi momenti, de honore scilicet suae Nationis, et de patria Religione. Ad finem spectabat suae historiae · sed tacuit: ergo ut vera confirmavit quaecumque mira enarrantur in libris novi Foederis Christianorum. Et propterea concludendum, quod ex miraculis etc.

181. Praetermittimus argumenta Adversariorum, quia omnia, quae adduci solent, et possunt, ad hoc unum reducuntur, quod scilicet, qui miracula enarrant a Christo, et ab Apostolis patrata, nullius auctoritatis habendi sunt, quia deest, quod historicus debet esse indifferens. Ergo si illi, qui haec scripserunt pro vita addicti erant Christo, et doctrinae ejus, nulla fides eorumdem Scriptis habenda est.

Sed ex dictis per se patet responsio. Et quidem omnia, quae libris Christianorum de Christo narrantur, non fuerunt secreta, publica, et tamen cum de summo negotio ageretur, scilicet de patria Religione, et honore, tamen nullus ex tot infensissimis hostibus ausus fuit falsitatis, et imposturae nostros Scriptores revincere.

182. Nullius pariter momenti erit argumentum desumptum ex silentio aliorum Historicorum. Quinimo silentium istud, quod in aliis circumstantiis indicium falsitatis est, in re nostra invictissime confirmat veritatem; quia tacuerunt, cum loqui, et scribere contra debebant.

PROPOSITIO XXIII.

Ex Christi Prophetiis adamussim verificatis recte deducitur Divinitas illius Doctrinae, et Religionis.

183. *Prob.* Ex superiori thesi constat, vera esse, quae mira in libris Christianorum referuntur facta a Christo et suis discipulis in confirmationem suae doctrinae. Et quoniam ipsa supra naturae vires fuerunt, et etiam contra; idcirco inferebamus, doctrinam istam veram et Divinam, esse, quia repugnat, Deum, qui ipsa veritas est, confirmare falsitatem. Id utique sufficiens esset pro persolvendo nostro munere. Sed quoniam huc unice, et non alio tendunt nostrae curae, et omnes labores directi sunt, eamdem veritatem confirmare nitimur ex Christi prophetiis plene jam adimpletis. Et recte quidem. Etenim si solis Dei est operari miracula, non secus etiam ipse solius, qui aeternus est, et cui non est praeteritum, neque futurum, sed omnia sunt in actu, certo scire potest, quae contingenter, et non a nota necessaria causa, futura sunt. Ergo si plura hujusmodi Christus praedixit, et quae jam adimpleta fuerunt, nulli dubium, quia aut ipsa Deus, aut alter a Deo inspiratus fuerit locutus. Et propterea vera, et divina est illius doctrina, et Religio. Sed videamus num res ita se habet. Pauca seligimus.

184. Et quidem Christus Matth. cap. XXIV. v. 2. praedixit, e fundamentis destructum iri templum: *Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur.* Et adamussim verificatum fuit, nec ullum vestigium de

templo remansit. Secundo ibidem cap. XXVI. dixit, se post biduum tradi, ut crucifigeretur: *Scitis quia post biduum Pascha fiet, et Filius homnis tradetur, ut crucifigatur.* Et post biduum revera crucifixus fuit. Tertio ibidem v. 21. cum dixisset, fore ut unus ex discipulis simul discumbentibus et edentibus illum traderet; *Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est...: Qui intingit mecum manum in paropside, ipse me tradet.* Et cum inde turbatus illum interrogasset Judas: *Num quid ego sum Rabbi?* manifeste respondit: *Tu dixisti.* Et revera a Juda fuit traditus. Tandem, ut caetera omittam, ibiden Christus ipse ait Petro: *Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis.* Et revera Petrus ter illum negavit, quamvis animosum, et fidelem usque ad mortem se promisisset: *Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. . . . Etiam si opertuerit, me mori tecum, non te negabo.*

185. Nunc dicant Adversarii, potuerunt ne ista humana prudentia, et viribus humani intellectus sciri, et praevideri? Certo non potuerunt deduci ex aliqua causa necesssaria, et multo minus a causa libera, quia nondum erant cogitata, et statuta. Etenim nondum Judas certo dixerat, se velle tradere, nec cum Scribis, et Pharisaeis locutus fuerat; opposito prorsus animo erat Petrus, qui ex corde contestatus fuit, se potius mortem obire, quam illum negare; Magistratus Judaeorum nondum statuerant illum perdere; nemo scire poterat, fore ut templum penitus destrueretur, nec amplius aedificaretur. Ergo si sola virtute Divina potuerunt sciri, et praenuntiari, vera, et divina dicenda est Christi Doctrina, et vera etiam, et divina, nostra Christiana Religio.

Solvuntur objectiones.

186. Quae contra praesentem thesim objici possunt, omnia referuntur ad illud, quod dissolutum fuit 176, scilicet, quod

indifferentes non fuerunt, qui allatas prophetias enarrant: quapropter cum scriptae fuerint non ante, sed post factum, facile fuit fingere, et excogitare. Quod si instare audeant, hic non agi de factis publicis, uti de miraculis coram pluribus patratis, sed de privatis Christi sermonibus notis solum discipulis; quapropter impune fingi postea potuisse, et factis aptari; facilis erit responsio.

187. Et quidem primo. Certo cum scripta fuerunt Evangelia nondum verificata fuerat destructio templi a fundamentis, nec totalis dispersio, et eversio Judaeorum. Ergo sicut ista, ita alia quoque antea, et vere a Christo praedicta fuerunt. Secundo evanescit omne dubium de sinceritate Evangelistarum, si illorum vitam inspiciamus, et finem, cur scripserunt. Quid enim ex mendacio sperare potuerunt, qui vitam profitebantur omnino poenitentem, et miseram; qui penitus oderant commoda vitae, et mundanos honores, qui persecutiones, et mortem expectare poterant, quinimo sperabant ex hujusmodi narratione? Longe tanta calumnia ab humilibus, et sinceris Christi Discipulis!

PROPOSITIO XXIV.

Habito respectu ad naturam, et essentiam Christianae Religionis, et ad modum, quo brevi mirifice propagata est, in hoc necesse est fateri singularem vim Divinae gratiae et consequenter illam esse a Deo.

188. *Prob.* Essentia, et natura Christianae Religionis tota est contra innatos hominis affectus, cupiditates, et inclinationem ad honores, ad divitias, ad vitae commoda: praecipit etiam despicere omnia terrena, cohibendos sensus, aspernendas divitias, et adeo quidem, ut in exordio Religionis Christianae omnia vendi deberent, et conferri praetium in

commune: praecipit condonari ex animo cujuscumque generis injurias, nullam omnino sumere vindictam; suadet pati animo laeto persecutiones, et quod majus est, amare inimicos, et benefacere persequentibus, et calumniantibus nos; et caetera hujusmodi. Sed ista omnia maxime abhorrent a natura communi hominum. Ergo si plurimi nihilominus singulari amore Christianam Religionem amplexi fuerunt, dicendum, id factum esse singulari Dei gratia intus operante.

189. Nullum de hoc relinquitur dubium, si ad memoriam revocemus, quod omnes propterea persecutionem patiebantur, vel saltem deridebantur, et omnes erant in periculo mortis. Et quis revera enumerare poterit quot centena millia Martyrum pro Christiana Religione suum sanguinem fuderunt? Quis non obstupescit videns qua animi constantia, et saepe etiam laetitia, crudelissimos cruciatus, immanissimam mortem sustinuerunt, et quidem non soli viri, sed pueri etiam, et delicatae mulieres? Et nullus tamen a proposito defecit, etiam sub magnis promissis divitiarum, et honorum? Quomodo ista naturaliter fieri potuerunt? Quis non admirabitur miraculum divinae gratiae, maxime si animadverterit, quod quo magis crescebant, et saeviebant persecutiones, eo magis augebatur numerus credentium?

190. Sed cujus erat doctrina, quae brevi, et mirifice undique propagata fuit, et tanta aviditate et discrimine vitae amplectabantur? Viri pauperes, abjecti coram Principibus, opprobriis saturati, et infami morte damnati. Qui illam praedicabant? Homines omni humana Scientia destituti, fere omnes propemodum inalphabeti, piscatores, et propterea ignari prorsus eloquentia. Si ergo nihilominus tam mire illico Christi Doctrina propagata fuit per orbem universum, quis non videt stupendum gratiae miraculum, quae potenti divina virtute ad veritatem trahebat corda hominum? Sed repugnat, Deum quovis modo posse confirmare falsitatem. Ergo dicendum, quod habito respectu etc.

191. Non desunt, qui objicere audent Religionem Mahumetanam, quasi similiter brevi, et mirifice propagata sit per immensas Regiones Asiae, Africae, et etiam Orientales Europae. Sed quae isthaec comparatio? Quis ignorat, quantum haec favet sensibus, et omni brutali licentiae? Et quis non audivit, quae crudelia, injusta, et perpetua bella ex praecepto Mahumetis, contra Divinam naturalem legem, Turcae gesserunt, ut vi, et armis suam Religionem propagarent? Longe ista a Religione Christianorum, quae propagata est mira humilitate, incredibili patientia, vera sanctitate, et singulari exemplo omnium virtutum, et etiam perfectissima obedientia, observantia, et fideli servitute in eos principes, qui ad crudelem usque mortem persequebantur Christianos.

192. Et haec dicta sufficiant de primo libro nostrarum Institutionum, si tamen ratio addatur, cur nullum verbum factum sit contra Heterodoxos pro defendenda vera Christi Ecclesia in sola Communione Catholicorum sive in sola Ecclesia Romana.

193. Omnes ferme Theologi suis operibus praeponunt tractatum de veritate Religionis Christianae. In illo sola naturali ratione evincere conantur nedum necessitatem religiosi cultus erga Deum contra Irreligionarios; sed etiam necessitatem doctrinae revelatae contra Deistas, et Naturalistas.

Deinde ex necessitate deducunt divinam Revelationem revera existere, quoniam optimus Deus nusquam deficit in necessariis. Et tandem referentes quamcumque existentem Religionem ad legem naturalem, quae sine dubitatione a Deo est, inde concludunt, solam nostram Christianam Religionem veram, et divinam esse, quoniam quaevis alia legi naturali in multis, et praecipuis dogmatibus manifeste opponitur.

194. Hic communiter Theologi sistunt, et deinde manus

ad opus admoventes, primo conantur quaerere, et statuere fontes, seu locos Theologicos, ex quibus fas est desumere argumenta tuta, et valida ad refutandos, et revincendos falsos nostros fratres, qui sunt Heterodoxi omnes, et Haeretici. In hoc systemate comparari possunt prudentibus principibus, qui primo enituntur debellare exteriores hostes, et postea ad officium conantur revocare subditos rebelles, infideles, et perfidiosos.

195. Sed non desunt tamen, qui in hoc tractatu de veritate Religionis Christianae non solum exteriores, sed et interiores quoque hostes sternere, et debellare aggrediuntur. In hoc prae omnibus recentissime magnam laudem sibi peperit clarissimus Joannes Perrone e societate Jesu in posteriori parte sui tractatus de vera Religione. Sane tanta vi aggreditur, et persequitur omnes perduelles Novatores, et maxime Protestantes Lutheranos, et Calvinistas, ut nullus mihi videatur magis completam victoriam retulisse.

196. Ast nihilominus mihi visum est solos exteriores hostes in hoc priori libro profligare, et nullum verbum modo facere de impiis hisce rebellibus. Et ratio est, quia qui parum valet viribus, circumstantias quaerit opportuniores congrediendi. Itaque, Deo annuente, in altero libro, scilicet de locis Theologicis, postquam firmata fuerit duplex regula nostrae fidei, doctrina videlicet Divina tam scripta, quam voce tradita: item postquam demostrata, et vindicata fuerit infallibilitas Christi Ecclesiae in iis, quae ad fidem, et mores pertinent: Et cum determinati fuerint veri characteres, et proprietates, quibus licet dignoscere veram Ecclesiam Christi a quacumque impia, et infideli secta, tunc tandem validioribus armis munitus spero faciliori brachio recensitos hostes profligare.

Hoc fuit meum consilium: et spero non reprobatum iri a vobis, studiosissimi Juvenes. Sed volui meum animum aperire, ne sine causa id a me factum esse judicetis.

EPITOME PRIMI LIBRI.

DE VERA RELIGIONE.

Hic Liber distributus est in duas partes. In prima disseritur de vera Religione: in altera de veritate Religionis Christianae. Sed prius exhibetur definitio Theologiae, et partitio ejusdem.

Itaque Theologia, ita dicta a vocabulis graecis, latine significat sermonem de Deo; et quoniam vel sola duce humana ratione, vel inniti Revelatione Divina sermo iste fieri potest, idcirco Theologia vel est naturalis, vel supernaturalis. Supernaturalis, de qua agitur, dividitur in sex libros. In primo disseritur de Deo uno: in secundo de altissimo Trinitatis Mysterio: in tertio de Mundi creatione: in quarto de Incarnatione Divini Verbi: in quinto de gratia Christi Reemdptoris: in sexto de Sacramentis.

Sed quoniam haec nostra Theologia tota innititur in divinam revelationem, inde omnino necesse est, ut sola duce naturali ratione, evincamus contra adversarios, hostes nostrae Christianae Religionis, hanc revelationem reipsa factam esse, et apud nos solum reperiri. Ergo et alter liber primo absolute necessarius est, qui id absolvat, et quem vocamus librum de vera Religione.

Ast rursus quia tota revelatio, quam apud nos tantum Christianos reperiri in primo libro vindicatum est, continetur in nostris libris biblicis veteris, et novi testamenti, et etiam in vera divina Traditione; idcirco necessarius omnino est alter liber, qui jam dictum immediate sequatur, et in quo determinetur, qui sit legitimus Judex sacrarum et canonicorum scripturarum, et verae divinae traditionis; et etiam infallibilis interpres illarum: et huiusmodi liber dicitur de *Locis Theologicis*.

LIBER PRIMUS.

De vera Religione.

In duas partes hic primus liber dispescitur. In prima vindicatur Divinae revelationis existentia : in altera demonstratur, hujusmodi doctrinam veram et integram modo solummodo apud nos Christianos reperiri; et septem capitibus absolvitur. In primo demonstratur, religionis cultum necessario Deo deberi. In secundo vindicatur existentia et veritas legis naturalis. In tertio demonstratur non sufficere naturalem legem pro statu supernaturali, ut scilicet Deus duplicem assequatur creationis finem. In quarto disseritur num lex, et proinde religio naturalis sufficiat homini ad essequendum finem cui a Deo destinatus est. In quinto evincitur necessitas doctrinae revelatae. In sexto demonstratur possibilitas divinae revelationis. In septimo tandem ejusdem vindicatur existentia.

Primum caput tribus absolvitur thesibus. In quarum prima demonstratur Deum non casu, sed consilio, et fine sui digno mundum ex nihilo creasse. In secunda vindicatur duplicem fuisse Dei finem, manifestationem scilicet suae gloriae, et communicationem suae bonitatis. Et in tertia defendimus, quod ex vera justitia Deo debemus religionis cultum.

In demonstrationem primae thesis unica adducitur ratio, et ipsa firmissima, quod scilicet qui casu operatur, et sine consilio, et fine, aut stupidus est nesciens quid faciat, aut caret libertate, coactus scilicet a necessitate externa operandi contra voluntatem. Sed haec absolute abhorrent a Deo perfectissimo. Ergo non casu, sed fine sui digno ex nihilo mundum creavit.

Duae objectiones adversus hanc nostram thesim adducuntur. 1. quod ipsa destruit Dei libertatem, quoniam finis esset veluti ratio sufficiens, et idicirco veluti norma, quam Deus se-

qui deberet in suis operationibus. Et quidem vel ratio sufficiens in Deo est ipsa sui liberrima voluntas, vel quid distinctum quod illum determinat ad agendum, et uno potius modo, quam alio. Si illud. Ergo, praeter sui voluntatem, nihil aliud Deus sequitur in suis operationibus. Si alterum: ergo Divina voluntas ab altero determinatur, et propterea libera non est. Et id eo vel magis, quod si Deus ageret ex ratione sufficiente, tunc juxta illam, non vero contra, agere deberet; et idcirco operatio, et modo operandi, aeque saltem penderet a Divina voluntate, et a ratione sufficiente.

℟. Tantum abest, ut finis destruat Dei libertatem, ut secus illum faciat stupidum sine ratione agentem, aut fato, et necessitate operantem. Nec vero ratio, isthaec est formaliter ipsa Divina voluntas, aut quid diversum existens, quod illam determinet; sed potius modus, quo sapienter operatur. Nec tandem ista ratio sufficiens est veluti extrinseca norma, quam Deus sequitur in suis operationibus, sed potius modus, eeffectus suae sapientiae, et bonitatis.

Altera objectio est, quod multa sunt in mundo, procul dubio a Deo creata, vilia, inutilia, et etiam nociva, quae nullum consilium, nullamque providentiam, aut bonitatem sui auctoris indicant. Ergo casu, ni etiam necessitate, creata fuerunt.

℟. Brevissimis finibus circumscriptae humanae intelligentiae nullimode datum est finem, et rationem omnium singularium Dei operum cognoscere. Ergo potius a priori, ex quo scilicet dubitare non possumus, quin sapientissimus sit Deus, et summe bonus, quam a posteriori, sive per completam experientiam, dicimus, Deum non casu, sed consilio operari.

Secunda thesis, in qua tuemur, duplicem fuisse Dei finem in mundi creatione, manifestationem scilicet suae gloriae, et communicationem suae bonitatis, sic demonstratur. 1. Quia finis proprius agentis intelligentis est assecutio alicujus boni non possessi. Sed Deus ut perfectissimus, omnia essentialiter pos-

sidet, praeter solam extrinsecam accidentalem gloriam. Ergo vera est prima pars. Sed et verissima quoque altera. Quippe quisque agens juxta propriam naturam agit. Sed Deus est summe bonus. Ergo exterius agens agit ut effundat, et communicet suam bonitatem.

Ob: 1. Si Dei finis in mundi creatione fuisset manifestatio suae gloriae, hanc manifestare deberet omni meliori modo, quia sapientissimus est Deus, ut cognoscat media opportuna, et omnipotens, et adhibeat. Sed res non ita se habet, quia res creatae, ut numero, et vi intelligendi finitae non omni meliori modo cognoscunt divinas perfectiones, in quo reposita est manifestatio gloriae. Ergo etc: et eo magis, quia cum minus bonum pro majori, sit quaedam mali species, necessario Deus, si hic fuisset finis, omni meliori modo velle debuisset manifestare.

R. Cum dicimus Deum mundum creasse ut suam manifestaret gloriam, id quidem non meliori, sed finito, et determinato accipiendum est. Quippe oppositum absolute repugnat, quia cum hujusmodi manifestatio pendeat a numero, et facultate creaturarum, et cum nullimode fieri possit ut quovis modo ipsae sint infinitae, absolute quoque repugnat, ut omni possibili meliori modo Dei gloria manifestetur.

Ob: contra alteram partem. In mundo innumera sunta mala et physica, et moralia, physica, ut frigus, aestus, morbi ec. quae homines infelices faciunt in hac vita; et moralia, ut peccata, quae infelices faciunt in aeternum. Quaenam ergo Dei bonitas erga homines illa efficiendo, et ista non impediendo, cum possit vi gratiae efficacissimae?

R. Cum erimus in Theologia revelata, tunc istis difficultatibus adaequate fiet satis. Ast nihilominus sola duce naturali ratione dicimus; quod mala physica vel sunt negativa, vel positiva. Illa reposita sunt in desideriis non satisfactis, ista in sensationibus dolorosis. Porro et illis, et istis liberi esse non possumus, quia finiti essentialiter sumus: quapropter si

fieri nequit, ut infinita possideamus, necessario dari debent desideria non satisfacta, quinimo majora, quo majora possidemus : et cum finitum quoque sit corpus, et ex maxima Dei bonitate etiam mortale, ut sic locum habeat vita sempiterna, necessario doloribus subjectum esse debet. Et his adde, quod infinitis nihil datur absolutum, sed omnia sunt relativa; quo circa quae grata sunt prae magis dolorosis, eadem sunt dolorosa prae minus dolorosis. Quod veró ad moralia pertinet, ipsa pro certo ponunt humanam libertatem, juxta commune eloquium, *non datur peccatum*, *nisi voluntarium*. Sed princeps Dei donum nobis collatum est libertas. Ergo ex quo dantur mala moralia, eo magis resplendet Divina bonitas.

Thesis tertia, quod scilicet non solum ex animo grato, sed etiam ex vera justitia Dèo debemus religionis cultum, ita demonstratur. 1. Deus, ut Sapientissimus, omnipotens, et summe bonus, verum et summum jus habet super nos imperandi, quoniam perfectissime novit, potest, et vult adhibere omnia media opportuna ad nostram felicitatem. Sed verum jus imperandi dicit in nobis subditis veram obligationem obediendi. Ergo amore, honore, et servitute debemus Deum prosequi, et eidem obedire, in quo sane positus est religionis cultus. Et id secundo confirmatur intimo sensu, quo docemur, summo bono, benefactori, et domino summum deberi amorem, obsequium, et servitutem, scilicet verum religionis cultum. Tertio. Ex superiori thesi finis Dei in creatione est manifestatio suae gloriae, et communicatio suae bonitatis. Sed uterque adimpletur per religionem, ille theoreticam, iste praticam. Ergo ec.

Ob. Religio opponitur Dei bonitati, et providentia, quoniam infelices nos facit; (quia multa incomoda nobis sustinenda sunt pro illa servanda, id quod Dei opponitur bonitati. 2: per Religionem habemus legem, per legem peccatum, et per peccatum mortem aeternam. Sed tantum malum aut non

praevidere, aut non impedire, omnem destruit providentiam. Ergo etc:

℟. Neg: ant: ad cujus primam probationem dicimus, quod si pauca, et leviora incomoda per religionem nobis sustinenda sunt, innumera, et maxima bona inde consequimur: religione enim sussistit, et fovetur humana societas, qua nullum majus bonum in hac vita mortali: et in retributionem sempiterna felicitate donabimur.

CAPUT II.

De existentia, et veritate legis naturalis.

Nomine legis intelligitur voluntas legitimi Superioris sufficienter manifestata, per modum universalem, et costantem, ut distinguatur a praecepto, et poena vel praemio sancita, ut secernatur a consilio.

Sed quisnam erit legitimus Superior, cui nos obedire, et subjicere tenemur?

℟. Non diffitemur asserere, jus imperandi esse vocabulum relativum, ita ut supponat in aliis obligationem obediendi. Quippe quisque in se sentit innato ei, quod idem est, ac Dei voluntate, trahi ad sui conservationem, et perfectionem. Ergo quoties facilius ista assequamur sub imperio alicujus, vere tenemur illi obedire. Sed id tunc verum est, cum quis majori scientia, et potentia, quam nos, et simul bonitate praeditus est, ita ut melius, quam nos, sciat invenire, et possit, ac velit adhibere media opportuna nos servandi, et perficiendi. Ergo sapientia, potentia, et bonitas simul sunt veri characteres legitime imperantis.

Lex est vel Divina, vel umana, prout legitimus superior Deus est, aut omo. Et illa duplex quoque distinguitur, naturalis scilicet, et revelata, sive positiva, prout Dei voluntas manifestatur per solam naturalem rationem, aut per

revelationem. Et sic pariter lex humana vel est civilis si legitimus superior sit saecularis, vel ecclesiastica si sit ecclesiasticus. Hisce positis theses tres exhibet hoc secundum caput.

THESIS IV.

Existit revera lex Divina naturalis.

Prob. Deus jus habet super homines imperandi, et revera vult suo jure uti, ergo etc. Prob. prima ant. pars. Veri characteres legitime imperantis sunt sapientia, potentia major, et bonitas. Sed Deus sapientisstmus est, omnipotens, et summe bonus. Ergo etc.

Sed et vult hoc suo jure uti. Et quidem ex Th. II, et III. Deus vult suam gloriam manifestare, et a nobis postulat religionis cultum. Sed haec Dei voluntas omnes habet verae legis characteres, quia cuique innotescit per naturalem rationem, et cum dictet universaliter, et constanter ut vivamus juxta propriam naturam, et circumstantias, nemo dubitat quin praemio pro illis, qui servant, et poena pro transgressoribus sancita sit.

Ob. 1. Essentialis character legis est, ut sit per modum universalem, scilicet ut sit una pro omnibus. Sed talis non est illa, quam dictat humana ratio, quoniam varia haec est pro variis hominibus. Ergo etc. Et quidem 1. vera lex respicit praticum, sive actiones individuas, quae dependent a variis circumstantiis, et a diversa facultate ratiocinandi. Ergo, licet concedatur, etiam posita diversa vi cogitandi nihilominus haberi uniformitatem primorum principiorum, nunquam tamen haberi potest unitas, quae est character essentialis legis, II. Nec haberi potest ista primorum principiorum uniformitas. Et quidem primum principium naturalis rationis, est vitare malum, et sequi bonum. Sed eadem non sunt bona, aut mala cuique. Ergo etc.

℟. Unitas legis naturalis pendet ab uniformitate principiorum, non vero a consequentiis, praesertim remotis, quae ab illis deducuntur. Sed omnes, licet diversa vi ratiocinandi praediti, conveniunt in veris principiis, e. g. Colendus est Deus, promovenda est nostra perfectio, et nulla injuria inferenda est nostris similibus. Ergo etc. Sed ex applicatione principiorum pendent actiones individuae. Ergo rectae semper, aut malae erunt nostrae actiones, prout juxta, aut contra generalia principia fiunt, etsi variae, et etiam oppositae, prout variae, et oppositae sunt circumstantiae cujusque. Et propterea una semper erit lex, licet oppositae sint inter se operationes. Et inde patet responsio ad ultimum. Quippe quia non eadem sunt bona, aut mala cuique, optime servatur unitas legis naturalis, scilicet ut sequamur majus bonum, et vitemus majus malum, si pro diversis, aut oppositis circumstantiis, diverse, et opposite agere debeamus.

Ob. 2. Ad veram legem constituendam essentialiter requiritur, ut poena, vel premio sit sancita. Sed tale non est dictamen rectae rationis, quia bona, et mala sine discrimine hominibus accidunt. Ergo non datur lex naturalis, et quidem sine discrimine Deus impertitur ingenium, salutem, divitias. Quinimo saepe videmus, quod bene morati, et religiosi infeliciorem vitam ducunt. Nec sufficit dicere, quod fruuntur intima conscientiae pace, sicut et impii plectuntur solicitudine, et stimulo. Etenim ista sunt in ratione inversa recte, vel perperam, factorum, quia conscientiae pax, sicut stimulus semper minuuntur cum crescunt actiones bonae, vel malae, et sub justissimo judice Deo, proemium, et poena debet esse in ratione directa.

℟. *Neg. min.* Ad cujus prob. Dicimus, quod lex naturalis in hoc tota posita est, ut quisque suas componat actiones juxta propriam naturam, statum, et circumstantias, ut majus bonum assequi possit, et majus malum devitare. Ergo nullimodo fieri potest, ut observatores illius non recipiant proe-

mium, nec poena afficiantur violatores, et inde patet fallacia falsi suppositi, cum additur, quod Deus sine discrimine impertitur bona naturalia, et saepe videmus miseros virtuosos, et felices male moratos. Etenim semper verum est, quod illi, posito statu, in quo Deus imperscrutabili suo fine, liberrime nos posuit, multo magis essent miseri, si non servarent legem naturalem, et feliciores essent, qui non servant. Ergo semper verum, quod praemio, et poena lex naturalis sancita est.

Sed magis, atque magis sancita, si vera spiritu philosophico rem considerando, dicamus, felicitatem negativam, quam solam fas est sperare in hac vita mortali, non reperiri, nisi in interiori conscientiae pace, quae tunc habetur, cum nulla vel quasi nulla sunt desideria non satisfacta, sicut contra infelicitas reposita est in conscientiae stimulis qui oppositam habet originem. Sed illa, et ista non pendent a possessione naturalium bonorum, sed potius ab uniformitate, vel dissensu nostrae voluntatis a voluntate divina, quae est causa, saltem permissiva, omnium, quae accidunt. Ergo semper feliciores, sive minus infelices, sunt observatores legis naturalis, quam violatores, quia isti, non illi, habent desideria non satisfacta; et inde isti afficiuntur conscientiae stimulo et illi interiori pace fruuntur.

Quod si stimulus, et pax, sive poena, et praemium, non sunt in ratione directa, sed potius inversa, id firmissimum est argumentum, alteram dari futuram vitam, alterum statum, praeter hunc naturalem, in quo perfecte omnia compensantur.

THESIS V.

Lex, et Religio naturalis dici possunt unum, et idem.

Pr. Vera Religio naturalis proprie consistit in exhibendo Deo religionis cultum, juxta illius voluntatem per naturalem

rationem cognitam. Sed Dei voluntas naturali ratione cognita dicitur, et est lex naturalis. Ergo etc. Et revera illa, et ista aeque iusta munera praecipiunt erga Deum, erga nos, et proximum.

Ob. Lex, et Religio naturalis habent subjecta, et objecta opposita. Ergo non sunt unum, et idem, et quidem lex naturalis est veluti totum, et Religio veluti pars, unum tantum ex tribus, quae illa praecipit, complectens officium, scilicet erga Deum.

℟. Quia quae dicitur lex respectu imperantis, eadem dicitur observatio respectu subditi, necessario in ipsa objecta mutantur in subjecta. Falsum similiter quod lex naturalis, est veluti totum, et religio veluti pars. Etenim ut religio sit vera, in omnibus partibus adimplenda est Dei voluntas. Sed tria officia Deus praecipit in corde nostro. Ergo omnia nobis adimplenda sunt, si verae illi religionis cultum praestare velimus.

THESIS VI.

Ad verum Religionis cultum Deo praestandum non sufficiunt soli interiores animi actus, sed necessarii quoque sunt actus esteriores corporis.

Pr. ex praec. Thesi. Lex, et Religio naturalis sunt unum et idem. Sed ad adimplendam legem naturalem necessarii sunt actus exteriores, maxime ad exercenda munera erga nos, et proximum. Ergo ad verum etc. Nec id minus verum quoad Deum. Etenim si, ut supra demonstratum est, ipse nos creavit, ut suam manifestaret gloriam, et nos constamus anima et corpore, procul dubio, quantum fieri potest, quoad totum nostrum esse illi tribuere debemus cultum religionis, quo solum naturalis finis obtinetur. Sed adde, quod exteriores religionis actus multum inserviunt ad sustinendos interiores in

nobis, et promovendos in aliis, ad quod tenemur ex vera charitate ergo ipsum Deum, et proximos.

Ob. Deus colendus est juxta suam naturam. Sed purissimus spiritus est. Ergo spiritu solum colendus est. Et quidem actus corporis ad nihil aliud inserviunt in negotio religionis, qua manifestatur Dei gloria, nisi ad indicandos interiores animae actus. Sed hos Deus immediate, et perfectissime cognoscit. Ergo etc.

℞. Cum dicimus, Deum, quia spiritus, in spiritu colendum esse, hoc unum intelligendum est, quod coli debet juxta suam perfectissimam naturam, non vero falsa, et indigna superstitione. Et addendum quoque *in veritate*, scilicet actus exteriores corporis respondere debent interioribus actibus animae. Necessarios vero dicimus actus exteriores pro completo cultu erga Deum, non quia illis egeat Deus, sed quia sic jubet, quia anima et corpore nos creavit, et quia inserviunt ad sustinendos interiores in nobis, et fovendos in aliis.

CAPUT III.

Non sufficit naturalis lex, et Religio, ut Deus duplicem finem sibi propositum in mundi creatione assequatur.

Dum quaerimus, num Deus assequatur duplicem finem, quem sibi proposuit in mundi creatione, non eo quaerimus, quasi in dubium id possit venire. Sapientissimus est Deus, ut agnoscat opportuna media, et omnipotens ut adhibeat: et propterea omnino repugnat, ut non perfectissime assequatur finem quemadmodum sibi proposuit. Igitur, quod quaeritur, est, num assequatur sola lege, et religione naturali, an vero necessaria quoque sit doctrina revelata; quod idem est ac quaerere, num praeter naturalem statum, in quo su-

mus, alter erit supernaturalis. Idem negant Deistae, et Rationalistae, contra quos serio, et pro viribus agentes, rem conficimus tribus thesibus. Sed prius notandum quid indifferentismi nomine venit in negotio religionis.

Itaque indifferentismus iste triplici modo accipitur. 1. indifferens nobis est quaevis doctrina revelata, quia sola ratio naturalis sufficit, ut dignus religionis cultus Deo tribuatur. 2. Sufficit sequi illam religionem, in qua nati sumus, quin quaeramus num vera sit. Et utraque indifferentia dici solet Theologica. Tertio accipitur pro tollerantia civili, qua suprema auctoritas sinit, ut quique exterus suam servet religionem.

THESIS VII.

Indifferentismus Theologicus penitus est proscribendus.

Prob. Sed primo monendum, quid sola naturali ratione modo disputamus. Itaque primo. Deus est ipsa veritas. Ergo nullimode falsa religione delectari potest. Sed indifferentismus dignas, et Deo, gratas docet varias et oppositas religiones, quarum nonnisi una vera esse potest. Ergo ec. Quod si diversi, et oppositi cultus non possunt placere, nullatenus quoque indifferentismus poterit nos ducere ad finem, cui Deus destinavit homines; et eo magis quod diversa, et opposita media, necessario ducunt ad oppositum finem. Sed quidnam indifferentismi sectatoribus persuasum est, omnes ne oppositos cultus placere Deo, an vero unum, aut nullum omnino? Non primum sane, quia contradictoria simul vera esse non possunt: si unum; ergo omni studio quaerere debemus, quinam ille sit: si nullum etc. Ergo pessimus hypocrita erit qui simulat, quod non credit, cum gravi injuria Dei.

Ob. Rejecto indifferentismo, rejicienda quoque est Dei ju-

stitia, quia cum non omnes cognoscant quaenam inter varias vera sit religio , multi sine culpa damnarentur , aut saltem fine cui Deus omnes destinavit , privarentur , quod certe est contra Dei justitiam. Et quod revera dantur istiusmodi homines , patet ex eo , quod religio non proprie versatur circa principia abstracta et universaliora, sed potius interpretatione illorum, et praxi , in quo , quia non eadem est mentis perspicacia , nullatenus haberi potest uniformitas. Sed et nec in primis principiis, et etiam per divinam revelationem, uniforformitas isthaec haberi potest. Etenim fuerunt, et modo etiam sunt integrae nationes, quae pluralitatem Deorum venerantur, etsi evidenter pugnet pluralitas entium perfectissimorum. Et sunt qui aut non dubitant de vera revelata doctrina patriae religionis, aut si dubitant, dubium doponere requeunt.

℟. Et quidem dico, quod indifferentismum reiicientes proprie modo loquimur. De religione naturali, quia nondum sumus in Theologia revelata. Itaque tuemur; veram, naturalem religionem , sive veram legem naturalem in essentialibus per se notam esse omnibus , quia aliud non est , nisi vivere juxta dictamen rationis ; et intima conscientia docemur tria officia , circa quae illa tota versatur, scilicet erga Deum, erga nos , et proximum. Ergo qui aliter vivit in voluntario vitio est; et propterea juste a Deo afficietur poena , aut privabitur praemio. Non negamus, idcirco praesertim nos nunc damnare indifferentismum, ut etiam rejiciatur in religione revelata; ast supponimus semper quod aliquod dubium nobis sit de veritate patriae religionis, secus imputabiles solum erunt defectus contra legem naturalem, et quoad revelatam damnatio erit solum negativa , dummodo recte in omnibus servata fuerit lex naturalis Sed de his alibi.

Ex dictis patet responsio ad alterum , quod scilicet religio versatur non circa principia universalia, sed praxim, appropriationem scilicet illorum. Itaque dicimus, quod religio practica

ultro sequitur theoreticam, quod si in consequentiis remotis, quis sine ulla sua culpa erronee sentit, non peccat, juxta effatum, non datur peccatum, nisi voluntarium.

Ad pluralitatem Deorum, dicimus, quod ipsa revera in se pugnat. Sed ista repugnantia non immediate fluit ex principio contradictionis, ita ut per se sit evidens omnibus; sed ratiocinium deducitur ex pluribus aliis veritatibus. Ergo non mirum si multi talem repugnantiam non vident, aut videntes non rejiciunt, aut decepti ab errore, quod non sibi afficere judicant, quod superfluum credunt. Ad ultimum sufficit quod additum fuit primae responsioni.

Sed regerunt adversarii. In hypothesi, quod patria religio sit falsa, et id notum sit principi, aut subditis, et alterutri obstinate illam defendunt, quid in eo casu faciendum erit? Nunquid subditi rebellare debent contra principem, aut principes omni vi et exilio, et morte subditos deberent cogere ad illam deserendam? procul dubio contra legem naturalem est tot, tantaque mala inducere. Ergo saltem in hac hypothesi admittendus est indifferentismus.

℟. Vera religio nullum ex enumeratis malis docet, aut praecipit, sed vetat omnino; et suadet, ac praecipit pacem, charitatem, et obedientiam. Ergo hoc in casu alterutra pars precibus potius ad Deum, et exemplo nitatur ad veritatem alteram partem inducere: et interim servetur tollerantia civilis.

THESIS VIII.

Lex sive Religio naturalis non sufficit, ut Deus principem finem, quem habuit in mundi creatione, manifestationem scilicet suae gloriae, assequatur.

Prob. Manifestatio divinae gloriae unice pendet a digno religionis cultu, qui duplici parte constat, theoretica, et pra-

tica ; scilicet in cognitione , si non adaequata , quod repugnat , divinarum perfectionum , non indigna tamen, et injuriosa ; et juxta illam nostros componere mores. Sed ad haec non sufficit humana ratio, primo quia cum non eadem sit in omnibus , non eadem omnium esse potest pars theoretica, et consequenter pratica , quae ab illa pendet ; secundo , quia de facto, ut scimus de Deorum cultoribus, non exceptis Philosophis, integrae nationes absurda prorsus, horrenda, et sacrilega crediderunt , et exercuerunt in negotio religionis. Ergo , nisi dicere velimus posse Deum hisce delectari , aut admittendum indifferentismus , qui jam rejectus est in superiori thesi , dicendum quod lex etc.

THESIS IX.

Sola lex , sive Religio naturalis , non bene respondet alteri Dei fini, communicationi scilicet suae bonitatis.

Prob. Licet lex naturalis sit vera Divina lex , quoad sanctionem tamen (th. III.) poena , et praemium in hac vita non sunt in ratione directa, sed potius inversa : Ergo si justissimus est Deus, fieri nequit, ut non expectanda sit altera vita. Sed naturali ratione non omnes vident hanc illationem , et qui vident, ignorant prorsus, quae sint illa praemia, aut poenae. Ergo etc. Sed adde: experientia docemur , quod nemo sit, qui aliquando graviter in Deum non peccet. Sed malitia injuriarum est in ratione directa majestatis Dei , et inversa hominis. Ergo malitia in delinquente est infinita. Sed poena sequi debet naturam malitiae. Ergo nullus erit , qui aeternam damnationem effugere poterit. Ergo nullimode Deus effundere poterit suam bonitatem , et alterum finem assequi , nisi ad tantum malum opportuna remedia praebeat, et per ordinem supra naturam , sive per revelationem.

CAPUT IV.

Num Religio naturalis homini sufficiat ad assequendum finem, cui a Deo destinatus est.

THESIS X.

Praeter finem, et ordinem naturalem, alter ordo, et finis supernaturalis admittendus est.

Pr. Deus mundum condidit, ut suam manifestaret gloriam; et quoniam mundus materialis, quia intelligentia caret, ut possit Dei perfectiones cognoscere, et laudare. Ergo munera ista soli homini demandata sunt. Sed homo nedum intelligentia a Deo donatus est, sed etiam inaestimabili libertate, qua sicut praemio, poena etiam infinita dignus fieri potest. Sed poena ista et praemium, sicut dictum est, cum de sanctione legis naturalis egimus, in hac vita non tribuitur ratione directa. Ergo praeter naturalem, alter ordo, et finis agnoscendus est pro liberis nostris actionibus, quem supernaturalem appellamus.

THESIS XI.

Lex, seu Religio naturalis homini non sufficit ad completum finem assequendum,

Prob. Non potest homo completum finem assequi, gloriam scilicet aeternam, quin complete suum assequatur Deus. Sed ad hoc non sufficit lex, et religio naturalis (thes. VIII, et IX.). ergo etc. Et id eo vel magis, quia si deturbatur ordo moralis, et homo abutens sua libertate, graviter in Deum peccat, nullatenus fieri potest, ut remittatur ordo, et plene satisfiat Dei justitiae pro infinita injuria illi allata. Sed de

facto videmus, quod omnes sive plus, sive minus libertate abutuntur. Ergo nullatenus quoque Deus suum finem assequetur. Ergo ne impie peccemus contra sapientiam, et bonitatem, dicamus oportet aliqua opportuna remedia supra ordinem naturalem invenisse, et adhibuisse; et propterea quod lex, et religio naturalis etc.

CAPUT V.

De necessitate Doctrinae revelatae.

Quamvis ex dictis clare pateat, necessariam esse aliquam doctrinam divinitus revelatam, clarius tamen demonstratur, in hoc capite.

THESIS XII.

Habito respectu ad statum, in quo homo nunc est, et ad finem, cur Deus nos creavit, absolute nobis necessaria est divina revelatio.

Prob. Quoniam sapientissimus, et omnipotens est Deus, repugnat omnino ut non assequatur duplicem finem, quem sibi proposuit in mundi creatione. Sed ex praecedentibus thesibus neutrum assequitur in statu, in quo sumus. Ergo etc.

Ob: 1. Impium est cogitare aliquid deesse Dei operibus, pro illo fine assequendo, ad quem ordinavit. Ergo et nihil deest homini pro fine suo in statu certe naturali, in quo creatus est. Quod si etiam concedere velimus, praeter hunc statum, et ordinem naturalem, alium futurum homini post mortalem vitam, nullimode tamen illi necessaria erit alia doctrina, praeter naturalem, quia status ille erit juxta conformitatem, aut difformitatem rectae rationi. Ergo recta ratio sufficeret pro utroque statu. Et eo vel magis, quod posset De-

us semper augere nostram intelligentiam, et sic naturaliter intelligere omnia necessaria ad salutem.

℟. Homo quia libertate praeditus est, et inde praemio, aut poena infinita capax, idcirco duplici statui addictus est, naturali scilicet in hac vita, et supernaturali in futura. Pro illo sufficit lex, et religio naturalis, pro isto necessaria est doctrina revelata. Et sic nihil nobis deerit ad assequendum finem. Ad secundum dicimus, quod ordo naturalis non est idem cum supernaturali, nec unica completa causa ejusdem, sed solum nequit iste haberi sine illo, scilicet sine conformitate nostrarum operationum cum recta ratione, et propterea est causa partialis, sive sine qua non, et Dei voluntas est causa vera. Ad ultimum non negamus potuisse Deum, et forsan fecit, et homo sua culpa deterior factus est, et nunc posse usque eo elevare humanam intelligentiam, ut per se cognoscat omnia necessaria pro futuro ordine supernaturali. Quippe si potest ex gratia doctrinae revelatae, potest quoque ex gratia naturali. Sed nos loquimur de facto, quia dum ratio dictat, Dei justitiam procedere debere in ratione directa, bene, vel perperam factorum, videmus tamen, retributionem esse in ratione inversa in hac vita. Quod si inde necessitatem deducimus alterius vitae, nullatenus tamen videmus quomodo plene satisfieri possit Dei justitiae pro infinita injuria illi allata, ut felix esse possit vita futura.

Ob: 2. Si necessaria esset divina revelatio, utique misericors Deus fecisset ab initio mundi, et non permisisset in aeternum perire tot homines usque ad Moysen, cui a Christianis primo facta dicitur. Et id verum quidem, quia si solum tunc renovata fuisset, maxime renovari debuisset gentibus, quae multo magis, quam Hebraei, illa obliti erant. An et cur non renovavit omnibus, sed solis Hebraeis? Ergo necessaria non est doctrina revelata, sed sufficit naturalis.

℟. Et quidem ad primum dicimus, Divinam revelationem ab initio factam esse primo homini, et postea, quia quasi obli-

lerata fuerat a nationibus, et ab Israelitis corrupta, renovatam fuisse Moysi. Et revera, si standum est Pentateucho, quo videntur uti adversarii, nonne Deus locutus est Adae, et cum eo rationem posuit de non servato praecepto? Nonne maledicens serpenti, spem dedit homini futurae redemptionis? Ergo ab initio fuit divina revelatio.

Ad reliqua dicimus, quod cum sermo est de gratia, non de justitia, Deus liberrimus est, ut illa utatur cum quibus placet. Sed gratia fuit hominis creatio, major gratia ut libertate praeditus capax esset meriti, et inde aeternae gloriae, si recte illa uteretur, et maxima gratia si abutens omnia amitteret, et Deus nova media praeberet opportuna omnia recuperandi. Nunquid injustus Deus, si ita non fecerit, aut non erga omnes? Miseretur, cui vult misereri. Et semper homines sunt illi debitores. Sed dicimus forsan fuisse causam cur Deus divinam doctrinam solis Hebraeis per Moysen renovaverit. Ast nobis sufficit, quod non ad justitiam id pertinet, sed ad misericordiam.

CAPUT VI.

De possibilitate Divinae revelationis.

THESIS XIII.

Multa potest Deus supra humanam rationem nobis revelare.

Prob. Nulla adest vera repugnantia, ut Deus aliqua nos doceat, quae finita naturalis ratio non valet assequi. Ergo etc. Prob. ant. Si esset repugnantia, haec esset vel ex parte hominis accipientis, vel ex parte Dei conferentis. Sed non repugnat ex parte hominis, quia semper sublimioribus, et majoribus veritatibus, dummodo tamen sublimissimae illae non sint, et infinitae, capax est intellectus noster. Et quidem si omnes ho-

mines admittunt facta historica, quin sensibus experti sint, aut comprehenderint sola ratione innixi auctoritati narrantium, eccur capaces non erimus sublimioribus innixi Dei auctoritati? Nec repugnat ex parte Dei, quia cum omnipotens ipse sit, omnia efficerre potest, praeter sola intrinsece repugnantia, cujusmodi non est nos aliqua praeter sensus, et supra naturalem rationem, cognoscere.

Ob. Vel divina revelatio est juxta naturalem rationem, vel contra, vel solum supra. Si primum. Ergo illius doctrina erit naturalis. Secundum repugnat, quia quae Deus dictaret per rectam rationem, sive legem naturalem, quae ab ipso est, eadem vetaret per revelationem, sive legem positivam. Sed et repugnat quoque aliud. Etenim qua ratione homo cognoscere potest, aliquas veritates fuisse a Deo revelatas, naturali ne ratione, an vero ipsa divina revelatione? Si illud: ergo veritates illae non erunt supra, sed juxta rationem naturalem. Si hoc; ergo idem per idem cognosceretur, et inde daretur processus in infinitum, id quod repugnat. Ergo etc.

R. Doctrina revelata non est neque juxta, neque contra naturalem rationem, sed tantum supra. Sed quomodo cognoscemus rem ita se habere? Ipsa naturali ratione. Quippe proprium est hujusce facultatis cognoscere quo se extendunt suae vires. Unde cum sentit ultra istas se aliquid doceri, tuto concludit doceri per divinam revelationem. Quinimo et nec necessarium est, ut perfecte cognoscat, quo se extendunt suae vires; sed sufficit, si videat aliquam cognitionem sibi advenire contra aeconomiam humanae intelligentiae, aut confirmari portentis contra, aut supra physicas leges.

Ob. Dedecet Deum facere inutilia. Sed inutilis prorsus est et sibi, et nobis doctrina revelata. Ergo etc. Pr. min. Doctrina revelata, quia supra humanam rationem, tota versatur circa ea, quae non possumus comprehendere, ut praesertim sunt mysteria. Sed cognitio isthaec vocum potius, quam rerum nihil nobis, et religioso cultui confert. Ergo etc.

℟. Neg. min. et ad confirmationem, dicimus primo, quod jam superius demonstratum est, necessariam esse doctrinam revelatam. Si necessaria: ergo utilis. II. Non ad nos discipulos, bene vero ad magistrum Deum spectat, videre, quae doctrina sit utilis. Tandem et ratio ipsa videt quam utilis sit ista doctrina. Ipsa enim determinat, et facit unam omnibus legem naturalem etiam in remotis consequentiis, primis principiis: uniformem reddit religionis cultum erga Deum, unde, exploditur indifferentismus, et demum tutos nos reddit, quod licet non cognoscamus naturam revelatorum, dignum tamen et in praxi religionis cultum Deo praestamus. Et quod maxime interest, cognoscimus remedia efficacia quibus redire possimus in viam salutis, et mortalibus vulneribus mederi.

CAPUT VII.

De existentia doctrinae divinitus revelatae.

Caput istud est veluti corollarium praecedentium, quia ex illis veluti praemissis deducitur sequens.

THESIS XVI.

Revera existit Divina Revelatio.

Prob. Ex praecedentibus thesibus sola lex et religio naturalis non sufficit pro duplici fine, cur Deus mundum creavit, sed necessaria omnino est doctrina revelata. Sed repugnat omnino, ut Deus sapientissimus, et omnipotens non praebeat media ad finem necessaria. Ergo etc. Et id evincitur ex facto, quia si naturalistas cum Scepticis excipias, non fuit, nec modo est ulla natio sine cultu religioso conjuncto, licet falso, cum doctrina revelata. Unde hoc? procul dubio ex antiquissima constanti traditione, Deum olim fuisse hominibus

locutum. Quippe falsa pecunia certum indicium est exstare veram.

Ob. Naturalistae. In mundo innumeri, varii, et oppositi sunt modi colendi Deum, et dum unus tantum esse possit verus, et placens Deo, quia tamen nullus judex in causa propria, nullus secernere poterit verum a falso, sive veram revelationem a conficta sycophantarum. Et idcirco vana prorsus, et inutilis esset quaevis vera doctrina revelata. Sed Deus inutile non operatur. Ergo etc.

℟. Necessariam esse doctrinam revelatam, et ut determinetur lex naturalis, ex qua pendet mundana felicitas, et dignus religionis cultus tribuatur Deo, ex quo assequitur principem finem, manifestationem suae gloriae, et alterum quoque retribuendo nobis veluti pro mercede, et justitia, gloriam sempiternam, hactenus demonstratum est, etc.

Ad alterum, quod scilicet inutilis est doctrina revelata, quia non potest secerni a falsa, deponunt adversarii suum timorem, quoniam ita non est. Etenim si a Deo est lex naturalis, nullimode potest Deus contra illam per revelationem aliquid nos docere. Sed eadem lex naturalis nota est cuique; ergo quisque facile secernere poterit veram revelationem a falsa. Ceterum non opus est agnoscamus omnia dogmata cujusque religionis, sed sufficit deprehendere unum contra legem divinam naturalem, ut tota falsa dicatur: nec adeo multae illae sunt, quia sufficit examini subiicere principales, quae non plures sunt, quam quatuor. Sed de his inferius.

PARS SECUNDA

De veritate Religionis Christianae

Procul dubio si existit, ut demonstratum est, doctrina revelata, et una esse potest, sufficit falsas demonstrare caeteras, ut per exclusionem partium, vera concludatur nostra

Christiana. Sed studebimus etiam directe hoc ipsum demonstrare: et utrumque quinque Capitibus.

CAPUT I.

Expenditur quomodo tuto dignoscere possumus veram revelatam doctrinam a falsa.

THESIS XV.

Deus nullo modo sibi contradicere potest.

Prob. Sibi contradicere idem est, ac modo velle, aut affirmare, et modo respuere, aut negare idem, quin res, aut circumstantiae mutentur. Sed id omnino contradictorium est ex parte Dei. Etenim quia urget in contradictionis principium, ut eadem omnino causa, et posita sub iisdem omnino circumstantiis, non eumdem producat effectum; idcirco si Deus sibi contradiceret, vel in se mutaretur, vel de rebus sua muteretur cognitio. Sed id absolute repugnat. Ergo etc. Et maxime confirmatur ex quo aeternus est Deus, et propterea semper in actu, semper idem, non agnoscens praeteritum, nec futurum. Ergo quod vult, aut respuit, vult semper, aut respuit.

Ob. Deus liberrimus est. Ergo quae praecipit potest et vetare. Et quidem nonne lex naturae, quae certe est vera Dei voluntas, eadem modo praecipit, et modo vetat? Et id quidem sub iisdem circumstantiis, quoniam istae mutantur ex parte nostra, non vero Dei, qui aeternus est, et semper idem.

℟. Neg. cons. Hoc sensu Deus liberrimus est, quia a nulla sive interna, sive externa causa cogi potest ad volendum, et agendum; non vero, quasi ut nos, possit mutare voluntatem, quod imperfectionis est, et in nobis ipsis dum est

maximum donum, supponit defectum ignorantiae. Ad secundum dicimus, quod lex naturae, quae utique est Dei voluntas, eadem semper est, bonum praecipiens, et vetans malum. Et quia ob circumstantias diversas et oppositas, bonum mutatur in malum, et contra; idcrico saepe interdicitur, quod praecipiebatur, quin lex naturalis mutetur. Ad tertium, respondemus, quod in manifesta contradictione sunt adversarii, quia scilicet aeternus est Deus, idcirco idem est, et prorsus immutabilis.

THESIS XVI.

Deus nihil revelare potest, quod revera sit contra rectam rationem, et legem naturalem.

Prob. Ex thesi praec. Deus sibi contradicere non potest. Sed lex naturalis, quae est dictamen rectae rationis, est ipsa Dei voluntas. Ergo etc. Et inde veluti pro corollario sequitur, religionem naturalem esse veram regulam discernendi quamcumque confictam, et falsam, scilicet si aliquam essentialem doctrinam doceat contra legem naturalem, aut sibi contradicat.

Ob. Si Deus nihil revelare posset contra legem naturalem, tunc recta ratio esset medium certum directe cognoscendi quamcumque falsam doctrinam revelatam, et indirecte, posita necessitate, et existentia doctrinae revelatae, per exclusionem, scilicet partium, cognoscendi etiam veram. Sed hoc est falsum, quia populi et nationes, etsi communis sit omnibus humana ratio, variam, et oppositam religionem sectantur. Ergo etc. Confirmatur. Procul dubio divina revelatio majoris auctoritatis est, quam humana ratio, quia illa est a Deo summae auctoritatis, et haec ab homine. Sed nunquid certum ab incerto pendet, et demonstratur?

℟. Concedimus utique, quinimo et omnibus viribus tue-

mur, rectam rationem, sive legem, et religionem naturalem esse tutum medium directe dignoscendi falsam revelationem, et indirecte veram: ast pro certo ponimus, si velimus, non vero quod absolute, etiam inviti, id cognoscimus, et quod majus, si velimus sequi. Illud evidenter demonstratum est; et hoc pendet a causis, quas non immoramur recensere.

Ad confirmationem respondemus, quod licet humana ratio, quia finita, in multis sit fallibilis, in multis tamen infallibilis est. Et id pro certo ponimus, quia rem non habemus cum Pyrrhonistis. Itaque infallibilis est circa existentiam Dei perfectissimi, et propterea quod sibi contradicere non potest aliquid revelando contra legem naturalem, quae est ipsa sua voluntas.

CAPUT II.

Examinatur Religio Paganorum.

THESIS XVII.

Religio Paganorum est evidenter falsa.

Prob. Religio Paganorum profidetur polytheismum, pluralitatem Deorum, sive enium perfectissimorum. Sed id evidenter pugnat. Et quidem vel unusquisque illorum super alios dominatur, vel nullus, vel unus solum. Si illud; ergo omnes erunt sub dominio aliorum; et idcirco nullus independens, nullus perfectissimus, et nullus Deus. Si alterum: ergo cuique illorum deest dominatio super caeteros, et propterea nullus pariter erit Deus ens perfectissimum. Ergo ultimum: et idcirco unus tantum dari potest verus Deus: et religio Paganorum etc.

Deinde Pagani admittunt fatum, scilicet ineluctabilem necessitatem, cui omnes Dii, non excluso Jove, subjecti sunt. Sed nunquid subjectio isthaec stare poterit cum Deo perfectissimo?

Tandem nefanda vitia Pagani suis Diis tribuunt Jovi, Veneri, Baccho etc., et horrendas spurcitias ipsi exercebant in illorum diebus festis. Quod si abhorrent haec ab hominibus, quomodo in honorem Dei?

Ob. Pagani eodem modo, ac Christiani, adorant pluralitatem Deorum: Etenim Christiani multos adorant Sanctos, et unum Deum sui, et illorum auctorem; et sic etiam Pagani multos celebrant Deos, et unum veluti supremum adorabant, scilicet Jovem. Ergo vel falsa utraque religio, vel nulla. At quidem si Pagani cui unam, cui alteram terrae partem, tribuebant, Christiani quoque cui unam, cui alteram provinciam suis Sanctis dicarunt: quinimo cui super unam, et cui super aliam corporis partem imperium tribuunt. Sed quod similem omnino facit Religionem Christianorum cum religione Paganorum, est: Pagani adorabant ut verum deum patrem Saturnum, et etiam ut veros Deos illius filios Jovem, Neptunum, et Plutonem, et post illos, veluti a terra ad coelum sublatos colebant singulares homines. Ast nonne Christiani supremo cultu adorant Deum Patrem, Deum Filium, et Deum Spiritum Sanctum, et post illos inferiori cultu celebrant quasi innumeros strenuos viros, et mulieres?

℟. Neg. ant. Quippe Pagani ut veros Deos plures adorabant, quoniam separata, absoluta, et exclusiva dominia illis tribuebant: ast Christiani suos colunt Sanctos non veluti Deos, sed veluti fideles Dei servos, et id ut majorem Deo tribuant gloriam, et per merita, et intercessionem illorum facilius impetrent auxilia necessaria ad salutem. Quod si Christiani aeque quasi ac Pagani, cui unam, et cui alteram et suis Sanctis tribuunt protectionem urbium ea tantum mente faciunt, ut illorum intercessione Deus solus Dominus dignetur nobis gratias impertiri, uti clarissime indicant orationes, quae in illorum diebus festis ab Ecclesia ad Deum diriguntur. Ad ultimum dicimus, Christianos in Mysterio Trinitatis

non adorare tres distinctos Deos, sed tres Personas realiter distinctas, sive tres intrinsecos realiter distinctos existendi modos, ejusdem unicae simplicissimae naturae, sive substantiae Divinae. Ast Pagani in Saturno, et filiis revera adorabant quatuor distinctos Deos, et distinctis imperandi facultatibus praeditos.

CAPUT III.

Subiicitur examini Religio Judaeorum.

In hoc capite non inquirimus utrum doctrina Judaeorum vera fuerit, et revelata, sed potius hoc posito, utrum fuerit absoluta, an vero sub conditione, et usque ad Messiae adventum: sive, num fuerit veluti figura novae legis per Messiam ferendam, ita ut post hujus adventum non amplius proficua sit pro aeterna salute.

THESIS XVIII.

Ex vaticinio Jacob Non auferetur etc., *invicte demonstratur, Messiam jam advenisse a tempore usque Jesu Nazareni: et idcirco in contradictione sunt Judaei, qui pro Divino admittunt librum Genesios, et Messiae adventum negant.*

Prob. Prophetia sic se habet: *Juda, te laudabunt fratres tui . . . Non auferetur sceptrum de Juda et Dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium etc.*

Sed sceptrum, et quaecumque suprema potestas jam defecit a tempore usque Christi Jesu, quoniam in Jesu nativitate regnabat Herodes Ascalonita, qui erat Jdumaeus, nec amplius post tot saecula ad Judaeos rediit. Ergo venit jam Messia, et in contradictione sunt Judaei.

Ob. Vaticinium Jacob multos, et obscuros sensus exhibet. Et quidem 1. Vox hebraea, *Scheveth* quam latinus interpres vertit sceptrum, significat virgam, quae in Scripturis potius accipitur pro afflictione, quam dominatione, ut in psal. 88. *Visitabo in virga iniquitates eorum*. 2. Et quamvis sumi velit pro sceptro, dubius adhuc erit sensus. Etenim vox hebraica *Tasour*, quae in nostra Vulgata vertitur, *non auferetur*, significat *declinare*, ita ut sensus sit prorsus oppositus, scilicet, *non declinabit, non veniet sceptrum etc.*

℟. Neg. ant. ad cujus prim: prob. dicimus, quod licet virga in scripturis modo accipitur pro afflictione, et modo pro sceptro dominationis, tamen in vaticinio Jacob in hoc, et non illo sensu est accipienda, primo quia fausta, non vero infausta Jacob praedicebat benedicens filios; secundo, quia sic evidenter indicant verba sequentia, *et dux de femore ejus*. Ad alteram, licet vox *Tasour* sola significat declinare, ipsi tamen, prout sensus postulat, additur particula vel *el*, latine *ad*, vel *min*, latine *ex*. Sed in textu hebraico habemus particulam *min*, ergo sensus est, *non declinabitur*, *sive non recedet sceptrum de Tribu Judae etc.* Et sic vertunt Walton, Xantes Pagninus, et Septuaginta.

Plura alia, quae obiici solent ad duo referri possunt. 1. quod multis saeculis ante Christum saepe Judaei amisso imperio, omnes in servitutem ducti fuerunt, maxime Babylonem: 2. Per ferme centum quinquaginta annos veluti duces imperarunt super Tribum Judam Machabaei, qui procul dubio non erant ex tribu Juda, sed Levi. Ergo si standum esset vaticinio Jacob, sceptrum de tribu Juda cessavit multo ante nativitatem Jesu Nazareni. Ergo nihil certi inde ad nostram rem deduci potest.

Ad. primum resp. quod quamvis sub captivitate babyilonica et Rex, et cunctus populus, civitates, et res fuerint sub potestate Regum Babylonis, remansit tamen primo Regi, deinde ducibus Judaeorum potestas damnandi etiam capite

Judaeos praevaricatores legum, ut fecit Daniel in defensionem Susannae contra Senes calumniatores. Et hoc sufficit, ut sceptrum de Tribu Juda non dicatur ablatum, sed solum in parte suspensum : et eo vel magis quia in vaticinio Jacob post verba *Non auferetur sceptrum de Tribu Judae*, subditur: *Nec dux de femore ejus.* Scilicet quaecumque potestas.

Ad alterum dicimus. quod tempore Machabaeorum una fuit Tribus Israelitarum, et haec Judaea, quoniam pauci, qui reliqui fuerant ex aliis Tribubus, in illam se incorporarunt: ex quo factum est, ut deinceps omnes Hebraei appellentur uno nomine Judaeorum. Ergo quia Machabaei licet fuerint ex Tribu Levi, quia tamen imperabant in Tribu Juda, et quidem consensu vel expresso, vel saltem tacito, illius populi, recte dicitur, quod tunc sceptrum fuit in Tribu Juda.

THESIS XIX.

Ex Scripturis, quas Judaei veluti Divinas adorant, rectissime evincitur, Messiam in lege promissum fuisse Jesum Nazarenum: Et propterea in vera contradictione sunt Judaei, qui adhuc expectant.

Pr. primo ex prophetia Danielis facta anno primo, quo Darius simul cum suo genero Cyro, Babylone regnavit, de septuaginta hebdomadis numerandis *ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem*, in quarum ultima circa dimidium dicitur Christum occisum iri, hostiam deficere, et inde permanere desolationem usque ad consumationem. Si revera Jesus noster in ultima hebdomada circa dimidium, scilicet post annos 487 crucifixus fuerit, et inde facta sit, et permaneat desolatio, in contradictione dicendi sunt Judaei. Sed res ita se habet. Et quidem primo. Procul dubio hebdomades numerandae sunt *ab exitu sermonis ut iterum aedificetur Jerusa-*

lem, scilicet a tempore, quo complete suum effectum habebit decretum iterum aedificandi Jerusalem. Sed completa restauratione Templi, et Urbis illico facta fuit dedicatio. Ergo a dedicatione numerandae sunt. Sed ex lib. Esdrae, Josepho lib. XI. Antiq. dedicatio facta fuit an. XXIII. ex quo Artaxerses regnare coepit cum Patre Xerxe, et VIII, quo solus regnavit, scilicet ut convenit inter omnes annalium scriptores an. IV. Olympiadis LXXX, et Romae 297. Exinde ergo initium sumendum est. Sed Christus baptizatus fuit an. XV. Tiberii Caesaris, idest an. 3. Olympiadis 201, et Romae 780. Ergo habemus an. 483. scilicet 69 hebdomadas.

Sed post baptismum fuit dux populi praedicando, et mirabilia operando annis tribus cum dimidio circiter. Ergo adamussim in Jesu Nazareno verificata fuit prophetia Danielis. Sed de facto capta, et exusta a Tito Jerusalem, Judaei dispersi per orbem non amplius nec templum, nec regnum habent, et desolatio manet. Ergo etc.

Sed et multae aliae prophetiae in Christo Jesu adimpletae sunt, Jsaiae scilicet cap. VII., Michaeae cap. V., et maxime Jsaiae, qui quasi veram historiam, totam Christi Jesu vitam descripsit. Ergo etc.

CAPUT IV.

THESIS XX.

Religio Mahumetana prorsus falsa, et perridicula est.

Prob. In religione Mahumetana admittitur Indifferentismus, et id cum manifesta contradictione. Et quidem cum in ipsa doceatur Christianos, aeque ac Mahumetanos quemque in sua religione salvari, docet simul facilius salvari Christianos si transeant ad cultum mahumetanum, at nullo modo salvari Mahumetanos, si similiter faciunt. Ergo etc. Deinde

in illa docetur, soli Mahumeti permissum fuisse adulterium, et incestum. Et ut cetera sileam, admittitur fatum, quo prorsus destruitur humana libertas. Ergo falsa est hujusmodi religio.

Sed et maxime perridicula est. Quippe dicit Virginem Mariam Christi matrem fuisse Moysis sororem : fatetur Christi divinitatem , et vocat infideles illius sectatores , quos jubet exterminari , ni Turcis submittantur : docet ferme infinitum esse numerum mundorum: enarrat Lunam bifariam fuisse divisam a Mahumete etc. etc. Ergo perridicula prorsus etc.

Ob. Religio mahumetana conflatur ex religione Hebraeorum, et Christianorum. Sed in utraque, per Christianos , habetur vera divina revelatio. Ergo et divina quoque est doctrina Alcorani. Pr. m. Deus pater misericordiarum fecit revelationem Adae , et illam quasi obliteratam per Moysen renovavit , et hanc corruptam, reformavit per Christum ; et hanc item pariter depravatam, tandem integram reddidit per Magnum prophetam Mahumetem, qui ex lege Moysis, et Evangelio, unum composuit divinum Alcoranum. Ergo etc.

℟. Neg. maj. Quippe tota doctrina et Mosaica, et Christiana , exceptis Divinis Mysteriis, in eo posita est ut exponantur et firmentur vera principia divinae legis naturalis ; et Alcoranum contra totam evertit eamdem, ut dictum est. Ad probationem autem dicimus , quod nunquam ab Ada usque ad Moysen omnino obliterata fuit doctrina revelata, neque a Moyse ad Christum corrupti, et interpolati fuerunt divini libri, sed mores solum fuerunt depravati. Et quoniam semper divina revelatio respiciebat futurum Messiam , qui plene satisfaceret Divinae Justitiae, idcirco post Christum qui ex adimpletis omnibus prophetiis est verus Messias promissus , nullus alius expectandus est. Et propterea , nisi doceant Mahumetani in quo libro veteris , vel novi Testamenti alter Messias , aut restaurator promittitur , falsa semper et perridicula erit illorum religio.

CAPUT V.

Asseritur, et vindicatur veritas Religionis Christianae.

THESIS XXI.

Ex falsitate caeterarum Religionum legitime concluditur veritas Religionis Cristianae.

Pr. Ex superioribus thesibus existit vera Religio innixa doctrinae divinitus revelatae; et item falsae demonstratae sunt religiones Paganorum, et Mahumetanorum, et sibi modo contradictoria illa Judaeorum. Sed quatuor sunt principes religiones. Ergo exclusis tribus, legitima exclusione partium vera, et divina concluditur Religio Christianorum.

Ob. Magis quàm caeterae omnes, Religio Christiana multa absurda contra Legem naturalem, et rectam rationem docet. Ergo magis quam caeterae falsa dicenda est. Et quidem I. docet Deum factum esse Hominem, Cratorem Creaturam, quo nihil magis absurdum. II. Quinimo et confiteri audent Christiani Deum natum, passum, et mortuum esse. III. Quod cum non ab aeterno Divinum Verbum incarnatum dicunt, sed in tempore, manifeste illud mutatum fuisse credunt, scilicet ex non incarnato in incarnatum, quod horrisonum est.

℟. Neg. ant. ad cujus I. prob. dicimus: Christianorum fidem non esse, Deum mutatum fuisse in hominem; sed tantum in unitate personae Divini Verbi assumpsisse humanitatem, ita ut permanens Deus, Creator etc. ut erat ab aeterno, factus sit in tempore Deus homo. Ad II. et dicunt natum, passum, mortuum etc. non quoad personam Divini Verbi incarnati, sed solum quoad assumptam humanitatem. Ad III. resp. quod ratio isthaec nimis probat, et idcirco nihil concludit. Nunquid mutatum dicemus Deum ex non Creatore, in Creatorem, quia non ab aeterno, sed in tem-

pore creavit mundum? Ergo quia aeternus est Deus, et aeternitas, cujus nullam habere possumus ideam positivam, omnem excludit successionem, idcirco semper idem ipse est, omnia ipsi sunt in actu, nihil praeteritum, nec futurum. Et inde sequitur, quod mundus et incarnatio Divini Verbi sunt ab aeterno respectu Dei, cui futurum est in actu; et sunt in tempore ex parte nostri, qui ut essentialiter finiti, necessario sumus in successione, sive in tempore, nec quid sit in se aeternitas cognoscere possumus.

Multa alia opponuntur I. Christiana Religio docet, Divinum Verbum humanam naturam assumpsisse, ut plene satisfaceret divinae justitiae pro infinita injuria eidem allata. Sed nunquid ex se, sine ista sui indigna, et perridicula operatione, non poterat Omnipotens Deus cuncta remittere hominibus? II. Christus, ex doctrina Christianorum, homo Deus satisfecit ne Justitiae Divinae ut homo, an vero ut Deus? Etenim ex eadem doctrina integrae permanserunt in Christo Natura Divina, et humana. Non ut homo, quia hoc respectu Christus est creatura, et idcirco incapax meriti, et satisfactionis infinitae. Sed nec ut Deus, quia sic Deus satisfecisset sibi, et modo tam indigno, pro homine; posito si potuisset, quod repugnat. Ergo etc. III. Sed nec dicere valet quod ut homo Deus, passus est ut homo, et meruit ut Deus, modo scilicet infinito, ut plene satisfaceret pro infinita injuria illi ab homine illata. Etenim sic, quia semper homo, et non Deus passus est, finitae hominis actiones, ex virtute divina elevatae fuissent ad meritum infinitum. Sed hoc repugnat. Ergo etc. IV. Nequeunt de eadem persona vera contradictoria praedicari. Ergo unus individuus Christus nequit dici homo simul, et Deus. Tandem. Credunt Christum redivivum coenaculum fuisse ingressum clausis januis, scilicet corpus illius caruisse impenetrabilitate, quae est proprietas essentialis corporum. Quinimo, quod evidenter falsum est, et repugnat, c edunt

veram transubstantiationem panis, et vini in verum Christi Corpus; et inde dicunt, peracta consecratione, permanere accidentia panis et vini, sine substantiis. Quid ista accidentia sine subjectis?

R. Ad primum dicimus, quod Deus aeque ac misericors, est essentialiter justus. Ergo potentia *ordinaria* quo sensu loquuntur Theologi Christiani, non poterat hominibus ignoscere, quin plene suae justitiae fieret satis. Ad II. Christus neque ut solus homo, neque ut solus Deus satisfecit Divinae justitiae, sed ut homo Deus; scilicet passus est ut homo, et meruit ut Deus. Neque id absurdum est. Etenim Christianorum doctrina est, Divinum Verbum assumpsisse humanitatem in unitate suae Personae Divinae. Ergo si merita tribuuntur personae, utique Christus homo Deus potuit pati ut homo, et mereri ut Deus, et id quia integrae in assumptione permanserunt proprietates utriusque naturae. Et inde patet responsio ad tertium, scilicet merita Christi esse valoris infiniti, quia sua persona est Divina, non humana. Ad IV. Neg. ant. Quippe de eodem subjecto composito recte praedicantur proprietates omnium partium componentium, etsi oppositae sint inter se. Sic de eodem subjecto homine praedicantur oppositae proprietates animae, et corporis. Ergo de eodem Christo praedicari debent proprietates divinae, et humanae. Ad ultimum dicimus, quod impenetrabilitas, extensio sunt proprietates essentiales Corporis ut est species, quia ablata impenetrabilitate etc. ab idea corporis in nostra mente, destruitur ipsa idea; sed non ut est substantia individua, quia substantiarum individuarum essentia non adhuc comperta est. Quod si experimur omnia corpora esse impenetrabilia, id convenit illis ratione systematis, scilicet ex libera Dei voluntate qui est auctor legum physicarum, quas et suspendere, et revocare potest. Et sic patet responsio ad postremum, si solum addatur, quod dum Christiani dicunt facta consecratione, permanere accidentia

panis, et vini, hoc solum intelligunt, quod licet non amplius existant illae substantiae, nec actiones ipsarum, non cessant tamen in nobis effectus. Nunquid excedit hoc Dei potentiam?

THESIS XXII.

Ex miraculis a Christo Jesu patratis in confirmationem suae doctrinae, et a Discipulis ejus, invictissime demonstratur, vere divinam esse Christianam Religionem.

Pr. Miracula, ut operationes vel contra, vel supra physicas naturae leges, sunt immediate a Deo, qui nec per se, nec per alios, sive directe, sive indirecte mentiri, aut falsum confirmare potest. Sed Christiana Religio innumeris miraculis confirmata fuit a suo Auctore, et Discipulis ejus. Ergo etc.

Ob. Duo ab adversariis opponuntur. I. Quod princeps Character pro veritate historica est ut narrans sit indifferens, quales non erant Discipuli erga Magistrum Christum, quinimo et saepe enarrant facta propria, et semper quae favebant suae sectae. II. Cum sermo est de factis summi momenti, et mirabilibus prodigiis, opus est, ut confirmentur ab aliis historicis coaevis, aut proxime sequentibus. Sed nullus ex scriptoribus illorum annalium Christi miracula confirmat. Ergo etc.


℟. Ad duo reducuntur characteres historicae veritatis, ut scilicet narrantes nec fuerint decepti, nec decipere voluerint, et maxime si non potuerint. Ast nunquid decepti in veritate factorum Apostoli, qui summa necessitudine semper uniti erant cum suo Magistro Christo, cujus cuncta noverant secreta? Sed quae causa decipiendi, si nullum inde terrenum bonum, sed omnia mala, dedecus, persecutionem, et mortem expectare poterant? Sed et quomodo utrumque, si res agitur de puris factis, et his coram multis, et etiam

inimicis ? Ergo solus amor veritatis impellebat Apostolos. Quoad silentium vero caeterorum historicorum, dicimus, quod si in aliis circumstantiis promovet dubium , in re nostra invictissime confirmat veritatem. Etenim agitur de summo , et communi negotio patriae Religionis ; agitur de potestate Pharisaeorum, et Sacerdotum , et nullus tamen ausus est scribere contra libros Christianorum. Cur ? quia res tam omnibus nota erat, ut nullatenus mendacii redargui poterat.

THESIS XXIII.

Ex Christi prophetiis adamussim verificatis recte deducitur divinitas Religionis Christianae.

Pr. Prophetia , sive praedictio futurorum contingentium , quae scilicet pendent aut a libera hominum voluntate , aut a causis non notis , est a solo Deo , cui , quia aeternus est, omnia sunt in actu tam praeterita , quam futura. Sed Deus non potest quocumque modo confirmare falsum. Ergo prophetiae sunt signa infallibilia veritatis. Sed Christus multa praedixit , et adamussim verificata fuere , ut destructio templi e fundamentis , se post biduum tradendum , et crucifigendum , proditio Judae , negatio Petri etc. Ergo etc.



INDEX.

PRIMI LIBRI.

ALTERA PARS